Vol. XI. 1 Martii, 1930 N. 1

Acta Congregationis

a SS. Cruce et Passione D. N. J. C.

Jesu Christi Passio sit semper in cordibus nostris

ACTA CURIAE GENERALIS

Communicationes et Monita.

De Novo Ephemeridis Congregationis Nostrae Programmate

Cum, anno 1920 Ephemeris Congregationis nostrae publicari feliciter coepta fuit, ac ejus programma enucleate definitum et propositum, Superiorum Congregationis mens fuit eamdem publicationem, diu expetitam et necessitatibus Sodalitatis nostrae apprime respondentem, solerti cura in posterum provehendi, iis adhibitis emendationibus, quae opportunae, progressu temporis, viderentur.

Jam vero decem annorum experientia et plurimorum Sodalium observationibus exploratum habemus, usitatum programma aliquatenus fore immutandum, ut communi Congregationis utilitati, simulque expectationi optatisque Sodalium magis magisque respondeat.

Ac in primis non incongruum visum fuit usum linguae latinae decernere non solum in actis, et communicationibus officialibus, sed etiam in aliis omnibus quae juxta novum programma in Ephemeride referentur, (solis exceptis documentis de quibus infra) eum in finem ut, cum lingua latina in omnibus Recessibus sit intelligibilis, quae in singulis Provinciis sancte et fructuose peraguntur, universae Congregationi facilius innotescant, et cunctis Sodalibus meliora incitamenta ministrent.

Ad programma quod attinet, Ephemeris posthac tribus partibus constabit:

Prima pars continebit, praeter *Acta Apostolicae Sedis* ex commentario ejusdem nominis excerpta, quarum notitia Sodalibus nostris, speciali ratione, necessaria aut utilis censeatur, *Acta* quoque *Pontificia* ad negotia nostrae Congregationis vel causas Servorum Dei directe spectantia, nec non *Communicationes, Ordinationes,* et *officiales,* si quae sint, *dubiorum propositorum Solutiones,* qua a Curia Generali pro rerum opportunitate edi contingat.

Secunda pars, data occasione exhibere poterit, lingua originali, tum documenta historica Congregationis nostrae, tum documenta spiritualia, sive Majorum nostrorum, qui tanquam lucernae ardentes et dictis et factis suis, viam nobis ostendunt, sive alia pro rerum opportunitate, ad Congregationis spiritum fovendum.

In tertia autem parte, quae Congregationis chronicam seu vitam, ut ajunt, contemporaneam veluti ante oculos subijciet, paucis referentur notitiae principaliores respicientes Recessum SS. Joannis et Pauli, Missiones exteras Congregationis, singulas Provincias, Moniales et Sorores Passionis, necrologium, ac tandem ejusdem Passionis Sodalitates.

Chronica singularum Provinciarum, non jam fusiori calamo enarrabit particularia festa aut extraordinarias solemnitates, ut antea (quod deinceps in vernaculis Provinciarum commentariis, fieri poterit), sed summatim brevique sermone res gestas notatu dignas referet quae earumdem incrementum, operositatem et apostolicos labores ostendant, ut ex. gr. *Vestitiones, Professiones et Ordinationes Sodalium, novas Fundationes,* opera zeli, et presertim *Missiones,* Confraternitatum a Passione *Erectiones et Progressus, Functiones extraordinarias, Benefactorum cooptationes, fastorum memorabilium* concinnam narrationem etc.

Cum deinceps in Ephemeride majori concinnitati studeatur, nova publicatio in posterum quolibet tantum trimestri ordinarie prodibit, nisi necessitas aut rerum communicandarum copia, aliud aliquando postulare videatur.

Ad ephemeridis titulum quod attinet, aliarum Religionum exemplo eam « Acta Congregationis » vocabimus, tum quia to-

tum a parte majori denominari consuevit, tum quia Acta S. Sedis aut alia, in hac ephemeride nostratum notitiae et observationi interdum proponenda, nostra quodammodo facimus.

Cetera quae in priore programmate statuta sunt firma declarantes, Moderatoribus Provinciarum in mentem revocamus obligationem Chronographum constituendi, cui munus et officium sit notitias suae Provinciae prout in praesenti programmate diligenter adnotare, atque tempestive ad Ephemeridis Directionem Romam transmittere.

N. B. — Sicut ephemeridis nostrae primum numerum totum obtinuit epistola Rev.mi P. Sylvii a S. Bernardo, ven. rec., ita primus hic fasciculus sub novo titulo fere totus dedicatur epistolae Rev.mi P. Praepositi Generalis, de studio Passionis, juxta Capituli gen. XXXI sequens decretum:

" Quum diffusio devotionis erga Passionem D. N. J. C. sit finis praecipuus apostolatus Congregationis nostrae, decernitur quod juvenes nostri, inde ab alumnatus tempore erudiantur circa hoc praecellens mysterium fidei, et quod ab initio philosophici cursus studium methodicum aggrediantur de hoc argumento, juxta programma quod a Curia generali proponetur et Curiis provincialibus pro applicatione committetur ,, (decret. XVII).

EVERO A TERRA - OMNIA TRAHAM
I·N·R·I
BIBL IA SACRA
SVM MA THEO LO GICA
DE OR ATIO NE
BIBLIOTHE CA PATRVM CONCIONA TORIA
GESTA DEI PER
IESU XPI PASSIO
PASSIO CHRISTI VRGET NOS
G.B. CONTI

LEO A SACRO CORDE JESU

CONGREGATIONIS A SS. CRUCE ET PASSIONE D. N. J. C.

PRAEPOSITUS GENERALIS

Sodalibus universis salutem et pacem in Domino.

---

1. Scribendi argumentum.

Passio Christi urget nos! Hoc merito pro tessera dicere possumus, qui « sub Crucis vexillo pugnamus cum antiquo serpente, praedicando populis Jesum Christum et hunc crucifixum » (1). Apostolus quidem de Christi caritate illud scripsit, at, ut ipse explicat, « quoniam... pro omnibus mortuus est Christus » (2), et proinde vero ipsius sensu metonymice dici potest: Passio Christi urget nos! Et si omnes a Passione milites ita sentire oportet, quanto magis eum qui, licet immeritus, ducis munere fungitur, ut vice Pauli a Cruce omnes inflammet ad praeliandum praelia Israel? Et revera a Praepositurae nostrae exordio officium nostrum praecipuum duximus exacuendi « gladium spiritus, quod est verbum Dei » (3) seu praedicatio Jesu Christi crucifixi. Quocirca plura scripsimus occasione saeculi XVI pleni ab inventione SS.mae Crucis (4), addito promisso aliis litteris statuendi quomodo juvenes nostri, juxta Capituli Generalis XXXI Decretum XVII, in Passionis studio versari debeant. Quam promissionem iteravimus in epistola diei 27 Februarii, 1928 (5), et nunc tandem, obnitendo instantiae nostrae quotidianae et sollicitudini omnium provinciarum, persolvendam aggredimur.

2. Argumenti praestantia.

Cujuslibet studii praestantia ex ejus objecti dignitate et excellentia aestimatur. Quinam autem sit in re Christiana Passionis Dominicae gradus, auctores, tum nostrae tum antiquioris aetatis, luculenter demonstrant: « Crux omnium benedictionum fons est et causa gratiarum » (6). « Ecce in Cruce totum constat » (7). Omnia Christi mysteria in Cruce simul collecta inveniuntur, omnes

---

(1) *Antiphona Festi S. Pauli a C.* ad I Vesp. — (2) *II Cor.*, V, 15. — (3) *Ephes.*, VI, 7. — (4) *Bollettino* 1926, p. 100 sq. — (5) *Bollettino* 1928, p. 78. — (6) S. Leo, *Serm. VIII de Passione.* — (7) *Imit.*, Lib. II, cap. XII.

ejus gratiae dulcedines, et omnia praecepta; omnia denique in Cruce, ut in Christianismi symbolo, compendiaria significatione, continentur » (8). « Religio Christiana nihil aliud est quam professio Crucis et Crucifixi » (9). Hinc Passio Christi est « mysterium profundissimum et foecundissimum, quod universam religionem nostram in ordine tum speculativo tum practico comprehendit » (10). Revera igitur « in Christo Crucifixo tota nostra religio continetur » (11); « ejus Crux est tessera fidei, et expressio compendiaria religionis » (12); « et in ejus sanctissima Passione omnia inveniuntur » (13). Quapropter Passio Christi in suis causis, effectibus et applicationibus considerata, vere totam constituit Christianae religionis oeconomiam, et « regnum Christi est regnum Crucis », ut dixit E.mus Card. Pacelli, dum sui Tituli possessionem caperet, ita ut merito Paulus, « mysteria alia noscens et praedicans, nihilominus asserat se unum hoc nosse mysterium, unum Christum Crucifixum praedicare, nimirum ex quo omnia alia mysteria pendent ac promanant, et in quem, velut in caput et summam mysteriorum, evangelica praedicatio tota resolvitur » (14). Proinde « Evangelium ipsum Paulus verbum Crucis appellat, et Christum Crucifixum Dei sapientiam absconditam in mysterio, et ante saecula in nostram salutem praedestinatam, argumentumque tam scripturarum quam praedicationis evangelicae praecipuum, ac praestantissimum scopum, caput, basim et cardinem ceterorum Christi mysteriorum » (15). Sensu igitur non hyperbolico sed litterali asserere possumus: « Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum et hunc Crucifixum » (16), quatenus Christus Crucifixus, sive formaliter sive connotative, omnes sacras disciplinas comprehendit. S. Bonaventura opusculum scripsit « de reductione artium ad theologiam »; non difficile conscriberetur tractatus « de reductione theologiae ad scientiam Crucifixi », quae non inepte staurosophia nominaretur, sicut quidam devotos Crucifixi staurophilos appellavit (17).

---

(8) Bossuet, *Précis d'un Sermon pour l'exalt. de la S. Croix.* — (9) Gretser, *De Cruce Christi*, t. III, lib. II, c. I. — (10) Gorla, *Considerazioni fondam. sulla Pass.*, p. 28. — (11) Schouppe, *Adjumenta Oratoris sacri*, XLII. — (12) Costantini, *Il Crocifisso nell'arte*, p. 167. — (13) S. Paulus a C., *Lettere*, I, p. 558. — (14) Pinto, *Christus Crucifixus*, tom. I, p. 64. — (15) Pinto, op. cit., tom. I, p. 87, 64; cfr. S. Thom., *in I Cor.*, c. I, lect. III. — (16) *I Cor.*, II, 2. — (17) Hadrianus Lyraeus, *De Imit. Christi patientis*, p. 352.

3. Argumenti determinatio.

Sed brevis haec adumbratio praestantiae studii Passionis sufficiat. Nunc nobis in animo est ejus programma exponere, quod, satius omni ratiocinatione, ejusdem studii momentum et excellentiam demonstrabit. Inter varias probatas significationes vocis « studium », quatuor potissimum nostram attentionem merentur.

Primo, « studium » sumitur pro attentione intellectuali; hinc studium juris, philosophiae, etc. (18). Secundo, significat devotionem, quae est « studium ac voluntas qua alicui addicimur ac veluti consecramur » (19). Tertio, denotat inclinationem, gustum, amorem praedominantem; hinc dicitur : « ardeo studio historiae, studio venandi, dicendi », etc. (20). Quarto denique, exprimit animi intentionem, seu diligentiam et zelum, ad aliquam rem peragendam, quo sensu Cicero scribit: « studium est animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicata, magna cum voluntate occupatio » (21). In his quatuor acceptionibus nos de studio Passionis loqui intendimus, a prima incipientes, nempe a studio intellectuali, quod finem praecipuum hujus nostrae epistolae constituit.

4. Hujus studii amplitudo.

Rem novam profecto non aggredimur. Imo « Crucis magnete (ut ita dicamus) allecti, innumerabiles fere homines ad eam accesserunt, ut ejus mysterium investigarent, ejusque causas cum suis consequentiis cognoscerent... Hinc factum est ut litteratura Passionis lucupletior omnium evaderet quas nobis superiores aetates transmiserint, ac in dies magis magisque augeatur » (22).

Verum, quod ceteri homines sub uno tantum vel altero respectu considerarunt, nos undequaque considerare et meditari debemus. Cardinali Wiseman effatum illud tribuitur: « quisquis debet aliquid de omnibus rebus cognoscere, omnia vero de aliqua re » (23). Si autem nos de aliqua re omnia sapere oporteat, nonne illa erit Jesu Christi Passio, a qua nomen habemus? Quod tamen non ita est intelligendum, ut nobis opus sit studio exhaurire aut dumtaxat legere omnia circa Passionem volumina, « quorum numerus legio est (24); sed ut ea quae in

---

(18) Cfr. Cicero. — (19) Cfr. Forcellini. — (20) Cfr. Cicero. — (21) Cfr. Forcellini. — (22) Mir, *Historia de la Pasión*, Introd. — (23) (something of everything and everything of something) *Ecclesias. Review*, Aug. 1929, p. 128. — (24) Fonk, *Mysteria Passionis Christi*, p. 10.

his libris specifice continentur, nota et perspecta habeamus. Quamvis autem Passionis « litteratura » (ut ajunt) tam locupletior existat, propter hanc ejus ipsam copiam et amplitudinem, nulla proprie ejusdem « summa » habetur, quae veluti commentarium seu epitome pro ejusdem Passionis studio inservire possit. Est quidem opus, Venetiis editum anno 1618 (25), pro illius temporis necessitatibus satis completum, quo Passio in quinquaginta et unum puncta seu mysteria dividitur, et pro singulis ponitur: 1) descriptio prophetica ex Veteri Testamento; 2) narratio historica ex Evangeliis; 3) rerum notabilium declaratio; 4) ejusdem mysterii causarum investigatio; 5) pia meditatio; 6) item meditatio super compassione B. Mariae V. eidem mysterio consentanea; 7) tres morales applicationes triplici gradui viae purgativae, illuminativae, et unitivae respondentes; 8) pium aliquod officium aut virtutis exercitatio mysterio congruens; 9) exemplum aliquod historicum vel ex vita sanctorum; 10) descriptio tandem et historia instrumentorum Passionis.

Attamen, praeter quam quod opus descriptum hodie reperiri vix possit, et in nonnullis exsoletum appareat, ipsum non absolutum judicatur relate ad hodiernam Passionis litteraturam. De eo ideo mentionem fecimus ut in aperto sit ideam de summa Passionis novam non esse, nec in praesenti haberi tale opus omnibus numeris absolutum. Quae cum ita sint, alia nobis sumenda est via, cujus natura et ratio ex sequenti nostra expositione satius patebit, praemissis nonnullis circa hujus studii prolusionem in alumnatu et novitiatu.

5. Ejusdem studii prolusio.

Etsi studium methodicum Passionis, juxta decretum decimum septimum Capituli Generalis trigesimi primi, a cursu philosophico initium habeat, (cum in inferioribus disciplinis impossibile sit penes omnes Provincias sequi methodum ac rationem uniformem) inde tamen ab alumnatu, et a fortiori in Novitiatu, ejus fundamenta et initia ponenda sunt. Quo meliori modo id in alumnatu consequi possit, praesertim opportunis lectionibus et accomodatis hortationibus, Superioribus immediatis relinquimus; at utile judicamus modum suggerere tempus novitiatus ad eumdem effectum magno cum fructu adhibendi. Codex

---

(25) Thiepolo, *Le Considerazioni della Passione di N. S. G. C.*

Juris Canonici prohibet quominus novitii « dedita opera studiis vacent litterarum, scientiarum et artium » (26), quam prohibitionem confirmavit Summus Pontifex Pius XI in suis Litteris diei 19 Martii 1924, in quibus aperte dicitur novitiis unice incumbendum esse vitae spirituali, « remotis quarumvis disciplinarum studiis atque oblectamentis ». Per hoc igitur derogatur S. C. De Religiosis decreto (27) aliquod determinatum tempus studiis litterarum in Novitiatu insumendi; absolute tamen non excluditur moderata aliqua intellectualis exercitatio, ut Codicis interpretes communiter notant (28).

Proinde legitima adhuc, imo satis commendabilis, apparet sequens nostrae Regulae praescriptio: « Quoniam probationis anno novitii peculiari studio in spiritus perfectionem incumbunt, die quolibet post matutinam orationem et Missam, Vespere post recitatum Rosarium, fiat per dimidium saltem horae explicatio alicujus libri sacri praecipue novi Testamenti, ex qua novitii ipsi piam aliquam meditationem vel animadversionem eliciant » (29). Cum Regula, uti ex contextu apparet, id pietatis potius quam scientiae causa praecipiat, nos prae oculis etiam habentes mentem decreti anni 1910, magnopere cupimus ut talis exercitatio quotidiana « Congregationis naturae respondeat », nimirum ut ad cognitionem Passionis Jesu Christi tota dirigatur. Quapropter ex Novo Testamento ea seligantur quae proxime ad Passionem spectant, sive separatim quatuor evangelia adhibendo, sive potius concordantiam aliquam aut diatessaron, quorum plurimae commodiores editiones habentur (30).

Magistris vero magnae erit utilitati Diatessaron seu Concordantia Evangeliorum Card. Lépicier, vol. IV, ab historia Passionis, etc. et Bover « El Evangelio de la Pasión » (31), quippe quae copiosissimas et maximi momenti explicationes subministrant. Cum autem Vespere mos sit alium devotum librum, et praesertim lectiones Breviarii explicandi, etiam ex his seligi debent quae ad Passionem referuntur, veluti Officia Passionis

---

(26) Canon 565, § 3. — (27) Diei 27 Aug. 1910. — (28) VERMEERSCH, I, 663; BALMÈS, *Les Rel. à vœux simpl.*, pag. 127; MATTHAEUS A CORONATA, I, pag. 711, nota 1. — (29) *Regula*, 53. — (30) LOHMANN-CATHREIN, *Vita D. N. J. C. e quatuor Evangeliis*; WEBER, *Quatuor Evangelia in Unum*; FILION, *Synopsis evangelica*; MÉCHINEAU, *Vita D. N. J. C. e textibus quatuor Evangeliorum*. — (31) Barcelona, 1918.

D. N. J. C. et B. Mariae Virginis Perdolentis, cum hymnis respectivis (32). Sic enim novitii eo spiritu imbuentur, quo motus Conf. Gabriel Nicolini ajebat: « Nos passionistae Passionem Jesu cognoscere debemus, alioquin quomodo poterimus eam aliis declarare et exponere? » eodemque spiritu quo saepius in die Virginem Dolorosam illis S. Bonaventurae verbis salutabat: « Ave Maria, doloribus plena »!

6. Studii Synthetici ratio.

Novitiatu exacto, debent juvenes, simul cum Philosophia, Passionis methodicum studium inire, quod per octo annos, a principio Philosophiae ad terminum s. Eloquentiae, tractare et evolvere opus est. Si aliquod esset (aut cum aliquando erit) congruens commentarium, apte in octo sectiones dividi posset, independenter ab aliis disciplinis proponendae. Interim alia, ut supra diximus, nobis sumenda est via, quam exponendam aggredimur.

In duas periodos studium Passionis dividimus, *syntheticam* scilicet et *analyticam*, juxta horum verborum significationem mox declarandam. Imprimis juvabit Passionem Domini summatim considerare atque complexive cognoscere (synthesis), ac deinde particulares ejus circumstantias seu mysteria intimius perscrutare (analysis). De Passione namque dici potest quod S. Augustinus de S. Scriptura ajebat: « Erit S. Scripturae solertissimus indagator qui primo totam legerit notamque habuerit, etsi nondum intellectu, saltem lectione (33). Id quidem hoc utilitatis juvenibus praestabit, ut totam Passionem nitide et ordinate cognoscant, antequam generali huic cognitioni innumerabilis varietas quaestionum et circumstantiarum superimponatur, quibus studium analyticum occasionem praebet. Igitur, duobus vel tribus annis curriculi philosophici, congruens tractatus historicus Passionis Christi et Compassionis B. M. V. exponatur (34). Qualibet feria VI, praeter breviorem lectionem disciplinae currentis, habebitur lectio illa historica, ita ut generale studium de Christi Passione et B. M. V. Compassione toto

---

(32) Cfr. *The Story of the Passion as told in the Church Hymns*, Catholic World, vol. 71, pag. 46. — (33) *De Doctrina Christ.*, lib. II, c. VIII et IX. — (34) Ex. gr. OLLIVIER, *La Passion, essai historique*, quod exstat gallice, italice, hispanice, anglice, etc.; MARTIN, *La Passion au point de vue historique et archéologique*; MIR, *Historia de la Pasión*; ARTHUR DEVINE, C. P., *History of the Passion*, etc.

philosophiae curriculo extendatur et absolvatur. A Filii Passione ad Beatissimae Matris dolores aditum patefaciet praelectio de doloribus internis Domini Nostri Jesu Christi, quorum acerbissimus ex moeroribus dilectissimae Matris suae proveniebat. Erat quidem, ut optime scripsit Faber, circuminsessio quaedam, vi cujus Passio Christi et Compassio ejus Matris mutuo causa erant et effectus. Passio Filii Cor Matris amaritudine replebat, simulque Matris Compassio potissimum elementum erat Filii Passionis (35). Si vero liber in usum studentium assumptus de internis doloribus Christi, sive quoad ipsius agoniam in Horto, sive quoad quartum ipsius morientis verbum, non satis abunde pertractet, poterit Lector materiam supplere, tum sacros interpretes in respectivis locis, tum alios auctores consulendo (36). Quod ad studium dolorum et Compassionis B. Mariae Virginis attinet, optime ut textus inservire poterunt tractatus S. Alphonsi (37), Thiepoli (38), Bossuet (39), Arturi Devine (40). Lector insuper non sine fructu consulet opera Patris Faber (41) et Dragoni (42).

7. Studii analytici ratio.

Postquam igitur syntheticam cognitionem Passionis, in cursu philosophico, juvenes sibi comparaverint, in cursu theologico studio analytico vacabunt, idest, operam impendent ut compendiosam cognitionem acquirant earum rerum, quas mens nostra potest in Passione Domini in ordine sive speculativo sive practico considerare. Hujusmodi studium, uti mox indicabimus, ceteris omnibus ecclesiasticis disciplinis aptissime inseritur, adeo ut omnes de Passione fructus ferant, atque universa nostra eruditio devotione erga Jesum Patientem penitus perficiatur et coronetur. An-

---

(35) *The foot of the Cross*, ch. I, sect. 9; ch. IX, sect. 5; cfr. De Ponte, *Meditationes*, Pars IV, Med. I, punct. 8; Med. XX, punct. 3. — (36) E. g. Beata Baptista Varani, *De Dolore mentali Christi*, Acta Sanct. die 31 Martii, (cujus operis inveniuntur editiones: italica, *I dolori mentali di Gesù*, Firenze, 1923; gallica, *dans les anciennes éditions du Combat Spirituel* (cfr. italice, *Il combattimento spirituale*, c. 51); anglica, *True Devotion to the Passion*, The Ambrosden Press, London, 1924); P. Seraphim, *Promptuarium super Passione*, p. 447; Piatti, *Trattato della Passione*, Consid. II; Bertani, *Istruzioni intorno alla Pass.*, p. 110; De Tulio, *Le due agonie di G. C. dell'Orto e della Croce*; B. De la Colombière, *Sermon pour le jour de la Passion*, 1 Point; Newman, *Discourses to Mixed Cong. Mental Sufferings of Our Lord.* — (37) *Le Glorie di Maria.* — (38) Op. cit. — (39) 2 *Sermons sur la Compassion de la S. Vierge.* — (40) Op. cit. — (41) Op. cit. — (42) *L'anima Cristiana incamminata alla compass. dei dolori di Maria*, etc.

tequam de singulis in particulari dicamus, videtur notandum totam hujus studii materiam in duas partes dividi posse: *a*) Passio Christi in ordine speculativo ut factum historicum et objectum Theologiae; *b*) Passio Christi in ordine practico ut principium, documentum et fermentum vitae christianae, in suis multiplicibus actibus et circumstantiis. Utraque pars materiam praebet variis subdivisionibus, quarum sequentes tantum proponimus, non ut exclusivas et adaequatas, sed ut sufficientes et ad effectum insertionis generali studiorum programmati accomodatas.

8. Passio in ordine speculativo.

a) 1. Exegesis Passionis, seu de ejusdem figuris et prophetiis in antiquo Testamento et de ejus enarratione in novo Testamento; de Passionis chronologia, archeologia, topographia, de processu D. N. J. C. sub aspectu juridico, de dramatis personis aliisque argumentis affinibus; de paraenetica interpretatione Passionis in epistolis S. Pauli (quae etiam ad ordinem practicum pertinet).

2. Theologia dogmatica Passionis; de Christo Crucifixo ut Sacerdote, Ecclesiae Capite, Rege et Judice; de Passionis consectariis seu de cultu SS.mi Cordis Jesu, SS.mi Vultus J. C., Pretios. Sanguinis, quinque Vulnerum Verae Crucis aliarumque reliquiarum Passionis; de Compassione Corredemptricis B. V. M.; de Passione relate ad gratiam, ad sacramenta in genere, et speciatim ad sacramenta Baptismi, Poenitentiae et Eucharistiae; itemque relate ad sacramentalia et indulgentias.

9. Passio in ordine practico.

b) 3. De Passione relate ad Theologiam moralem, tum in genere, quoad bonum faciendum et malum vitandum, tum in specie quoad opera pietatis et devotionis, ut exercitium Viae Crucis, Horae Sanctae, cultum Cordis Jesu, Vultus Sancti, Pretiosissimi Sanguinis, quinque Vulnerum et septem Dolorum; mysteria dolorosa Rosarii, pias peregrinationes; consectaria practica doctrinae dogmaticae de sacramentis, speciatim de Eucharistia ut sacrificio et sacramento, de sacramentalibus et indulgentiis; item quoad opera misericordiae.

4. Paraenesis Passionis, seu de Passione relate ad vitam spiritualem, juxta principia Theologiae ascetico-mysticae, juxta S. Paulum apostolum et juxta Divum Paulum a Cruce.

5. De Passione apud Ecclesiae Patres.

6. De Passione in precibus liturgicis et sacris ritibus.

7. De Passione relate ad historiam ecclesiasticam, nempe de Christi Passione in ejus corpore mystico, de devotionis erga Passionem historia, eiusque manifestatione in vita sanctorum, in cruciatis expeditionibus et in cultu instrumentorum Passionis; in piis exercitiis, associationibus, ordinibus, prodigiis sanctuariis et missionibus; item in legendis, in arte, seu, pictura, sculptura, architectura; in poesi, theatro, numismatica, clypeis gentilitiis, onomatologia, gnomonica, bibliographia, etc...

8. De Passione in musica religiosa et speciatim in musica liturgica.

9. De Passione relate ad institutionem oratoriam, seu in exercitio sacrae Eloquentiae.

Ex hoc schemate satis cognoscitur quid intelligamus per in-

10. Rationi studiorum insertio.

sitionem hujus studii in programmate generali, et quibus in locis insitio haec fieri debeat. Hoc tantum notamus ibi Passionis studium cuilibet disciplinae inserendum esse ubi primum et ubicumque eadem disciplina tali studio occasionem praebeat. Proinde Passionis exegesis et theologia plerumque secundo tantum theologiae anno incipi poterunt, cum iisdem in theologia fundamentali et S. Scripturae Introductione generali vix detur locus. De Passione autem relate ad historiam ecclesiasticam agendum erit quandocumque haec tradatur. Jam igitur, pro norma lectorum et studentium, ad singularum partium brevem expositionem properamus, paulo diffusius nonnulla, prout conveniens videatur, investigantes, ad effectum « non definitivum sed suggestivum » (ut cujusdam felici expressione utamur) (43); et bibliographicas indicationes proponentes, exempli potius quam praeferentiae aut commendationis causa: cum plurima alia optima opera inveniri poterunt, variis linguis conscripta (44).

Passionis Exegesis tam late patet ut per eam studium S.

11. Pasionis exegetica declaratio.

Scripturae fere in studium Passionis convertatur. Quod ceterum optime congruit consiliis in re peritorum, juxta quos « uniuscuiusque officium est, in Bibliorum lectione quaerere quae magis congruant cum ejus particulari institutione et doctrina, ejusque

---

(43) Benson, *Christ in the Church*, Preface. — (44) Cfr. *Catalogue, The Sacred Passion Library*, Passionist Monastery, Dunkirk, Status Foederati Americae.

vitae ratione ac status obligationibus » (45). « Ceterum modus aptior plurimum proficiendi in intelligentia Scripturarum est aliquam ex eis partem penitus nosse ac perdiscere; cum enim tota S. Scriptura eodem spiritu animetur, ac mira unitate, a libro Genesis ad Apocalipsim, resplendeat, quod ex studio alicujus ejus partis addiscitur, ad ceterorum intelligentiam maxime juvabit » (46). Multo magis hoc dicendum est de Jesu Patiente, qui praedicatur « Sacrarum Scripturarum Caput, epilogus, consummatio, summa » (47); adeo ut S. Hieronymus indubitanter scripserit: « Ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est » (48), seu, juxta paraphrasim Patris Gregorii a Jesu et Maria. O. S. A., « Ignoratio Passionis Christi est omnium Scripturarum ignoratio » (49). Jure meritoque igitur studium S. Scripturae ad Jesu Patientis cognitionem totum nobis dirigendum est. Atque, ut a typis et figuris Christi Redemptoris exordiamur, non desunt auctores qui de his fusiori calamo pertractant, inter quos noster P. Seraphim, in suo « Promptuario Passionis », verbis Patrum explicat quae sive ad Passionem in genere sive ad singula ejusdem mysteria referuntur. De iis etiam disserunt Thiepolus (50), Van Steenkiste (51), Maas (52), P. Cuthbertus (53), etc. De Prophetiis Sanct. Joannes Chrysostomus asserit quod « in omnibus Scripturis propheticis sparsim jacent mysteria crucis » (54). Hujusmodi autem prophetias exponunt auctores supra memorati (55). Ipsius Passionis exegesi, de qua, nostra quidem cognitione, commendabilius tractant Van Steenkiste (56) et Groenen (57), praemittendae sunt nonnullae notiones generales (nisi jam acquisitae fuerint in Passionis historia, seu studio synthetico) nempe satis plenae notiones: 1° circa chronologiam Passionis, annum scilicet et diem in quo locum habuit, ad hoc consulendo Fonck (58), Van Steenkiste (59), Groenen (60) ac optimae notae interpretes et scriptores vitae D. N. J. C. —

---

(45) Vigouroux, *Manuel Biblique.* — (46) Idem, ibid. — (47) Pinto, *Christus Crucifixus*, Lib. I per totum; Cfr. P. Cuthbert, *Course in Holy Scripture - The Passion in the Scripture*, Introd. — (48) Prooemium in Isaiam. — (49) *Divinitas D. N. J. C. in sua Passione*, lect. I. — (50) Op. cit. — (51) *Evangelium sec. Matthaeum*, p. 1188. — (52) *Christ in Type and Prophecy.* — (53) Op. cit. — (54) apud Pinto, op. cit., Tom. I, p. 13. — (55) Cfr. P. Gaspare, Cs P., *Disputa fra un Cattolico ed un Ebreo*, p. 421. — (56) Op. cit. — (57) *Het Lyden en Sterven van O. H. J. C.* — (58) Op. cit., — (59) Op. cit. — (60) Op. cit.

2° circa topographiam, seu loca in quibus praecipua mysteria Passionis acta sunt, de quibus loquuntur Fonck (61), Bover (62), Martin (Friedlieb) (63), Tissot 64), Coulomb (65), praeter « itineraria » Terrae Sanctae, ut illud P. Barnabae Meisterman, Professorum Nostrae Dominae de Gallia, etc. Inter veteres autem magnam sibi vindicat auctoritatem Quaeresmius (66). — 3° circa archeologiam, res nempe, mores et instituta locorum et temporum relate ad Passionem: de his autem optime agunt praeter Fonck, Bover, Tissot, ut supra, Friedlieb (67) et ex antiquis Justus Lipsius (68).

Ad processum Domini Nostri quod attinet, sub respectu juridico, opportunitas, imo necessitas, de eo tractandi, ex falsis doctrinis provenit quas nonnulli scriptores docuerunt, ut Salvador (69), Joannes Rosadi (70). Harum opinionum commentis scite contradicunt Chauvin (71), Martin (72), Hoffman (73), Leman (74), Dupin (75), Chaussay (76).

Quoad dramatis personas, Passio Christi, « sicut res gestae omnes, una simul ex actibus exterioribus derivavit, qui veluti tramam visibilem mirifici dramatis constituunt, et ex exortis in actoribus passionibus et internis affectibus, qui plenam progressionem, horrendam quidem in unis, sanctam et adorabilem in alteris, sunt assecuti » (77). Hinc « necessitas ingenium et mores illorum investigandi, qui partem habuerunt in Christi Passione » (78) « ut talis conceptus earum personarum habeatur, qui sit sufficiens ad passionum progressionem et crisim intelligendam » (79). Qua in re studiosus Passionis, ex elementis desumptis ab auctoribus sive sacris sive profanis, moralia lineamenta conficiet Christi Jesu, B. Mariae V. et apostolorum, praesertim Petri, Joannis et Judae; itemque Judeorum, carnificum et sanctarum mulierum. Id profecto utillimum erit, non solum ad speculativam cognitionem Passionis adipiscendam, sed etiam ad practicas applicationes eruendas, ut videre est apud Per-

---

(61) Op. cit. — (62) *De Getsemani al Calvario.* — (63) *Archéologie de la Passion.* — (64) *Vie de N. S. J. C.* — (65) *Le Calvaire et Jérusalem.* — (66) *Historica, theologica et moralis Terrae Sanctae Elucidatio.* — (67) *Archeologie der Leidensgeschichte O. H. J. C.* — (68) *De Cruce*, libri tres. — (69) *Jésus Christ et sa doctrine.* — (70) *Le procès de Jésus.* — (71) *Il processo di G. C.* — (72) Op. cit. — (73) *Le procès de J. C.* — (74) *Valeur de l'assemblée qui condanna Jésus Christ.* — (75) *Jésus devant Caïphe et Pilate.* — (76) *Histoire de la Passion*, tom. II. — (77) Mir, op. cit., introd. — (78) Ibid. — (79) Mir, Ibid.

roy (80), Benson (81) et Schouppe (82). De hoc etiam loquuntur Mir (83), Van Steenkiste (84), Méchineau (85), Monsabré (86), Chauvin (87), Cascioli (88), Chaussay (89), et P. Seraphim (90).

De Passionis interpretatione paraenetica ex epistolis Sancti Pauli Apostoli, quae ad Passionis exegesim proprie pertinet, aptius agetur infra, ubi de Passionis paraenesi.

12. Passionis theol. dogmatica.

Nunc autem sermonem nostrum ad Passionis theologiam dogmaticam vertamus. Lector hujus disciplinae potissimum in lucem proferat quae ad Passionem referuntur, quod maximi momenti est, ut stabile doctrinae fundamentum praebeatur devotioni, quam in nobis et in aliis excolere debemus. Igitur ipsius erit complere aut supplere quae in manuali scholastico desunt, aut non sufficienter exponuntur; quod potissimum faciendum est in Tractatu de Verbo Incarnato et Deo Redemptore, ubi ex professo sermo de Passione instituitur. Ac in primis maximi habenda sunt quae de hac re dicunt S. Thomas (91), Suarez (92), Billuart (93), Jansens (94) et praestantiores divi Thomae interpretes. Satis praeterea insistendum est super Christi Sacerdotio et ejus sacrificio in Cruce (95), et super doctrina de Christo Crucifixo ut est Rex, Judex, et Ecclesiae Caput. Non incongrue heic animadvertimus quod triplicem illam Judicis, Regis et Capitis praerogativam Christo Crucifixo tribuendo, non semper de Christo qua pendente in Cruce loqui intendimus, sed solum significare jus et exercitium horum munerum esse speciali ratione Passioni tribuenda, cum qua trascendentalem relationem habent, et proinde officium esse Lectoris Passionistae in re dogmatica eadem plane perfecteque explicare. Hujusmodi observatio prae oculis habenda est etiam in aliis argumentis de quibus inferius agemus. Jamvero quoad doctrinam de Christo ut Eccle-

---

(80) *La Salita al Calvario.* — (81) *Christ in the Church.* — (82) *Adjumenta Oratoris S.*, XLII, III. — (83) Op. cit. — (84) Op. cit., p. 1301. — (85) *Vita D. N. J. C.; Vita praecipuorum amicorum Domini*, p. 81. — (86) *L'Ame de Jésus dans la Passion.* — (87) Op. cit. — (88) *I Romani nel pretorio e sul Calvario.* — (89) Op. cit. — (90) *Judas Iscariote. · Sa vie.* — (91) *Summa*, III, q. 46-51. — (92) Disp. XXXIII-XLI. — (93) De Mysteriis Christi, Diss. IX. — (94) *De Deo Homine*, sectio III. — (95) Cfr. S. THOM., *Summa*, III, q. 22 et q. 48, a. 3; SUAREZ, Disp. XLVI-XLVII; SALMANT., Disp. XXXI; PESCH, *De Verbo Incarnato*, Pars II, sect. IV, art. I; FRANZELIN, *De Verbo Inc.*, sect. IV, c. II.

siae Capite, applicationes in aliis sacrarum disciplinarum partibus faciendae, ut suo loco explicabimus, satis superque ostendunt necessario requiri plenam atque exquisitam hujus capitis intelligentiam. Hunc doctrinae locum scite explicant S. Thomas (96), Suarez (97), Salmaticenses (98), Anger (99), et praecipue Pinto (100). Eamdem materiam etiam fuse pertractant recentiores interpretes S. Pauli Apostoli, ut Prat (101), Duperray (102), itemque auctores rerum spiritualium e. g. Marmion (103), Tanquerey (104); expositio etiam apologetica habetur apud Carolum Adam (105). In hoc sensu loquimur de Christo mystico et de Christo totali, juxta illud S. Augustini: Totus Christus caput et corpus est, caput unigenitus Dei Filius et corpus ejus ecclesia, sponsus et sponsa, duo in carne una » (106). Atque antea S. Paulus scripserat: « ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur (107); quia membra sumus corporis ejus (108), ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra » (109). De practicis applicationibus hujus doctrinae suo loco dicemus. Hic sufficiat notare cum Pinto: « Christum Dominum nonnisi per Crucem et Passionem perfectum ecclesiae suae caput fuisse... atque hinc sane est quod ubicumque Paulus capitis hujus et corporis meminit atque membrorum, non obliviscitur Passionis et Crucis negotii » (110).

De Christo Rege, titulo haereditatis et acquisitionis, seu unionis hypostaticae et Passionis, hoc secundum speciali modo declarabitur. Praesens officium liturgicum de Christo Rege primum diutius urget, sed nobis, qui « Golgothae cives » (111) nominamur, alterum gratius esse debet, quod ceterum in eodem officio saepius tangitur, praesertim his verbis hymni ad Mat.: « Doctor, Sacerdos, Legifer — Praefers notatum Sanguine — In veste princeps principum — Regumque rex altissimus ».

---

(96) III, q. 8. — (97) Disp. XXIII. — (98) Disp. XVI. — (99) *La Doctrine du corps mystique de J. C.*, Paris 1929. — (100) Op. cit., I, p. 121-242. — (101) *La théologie de S. Paul*, I, p. 359; II, p. 387. — (102) *Le Christ dans la vie chrétienne, d'après St. Paul*, p. 49 et passim. — (103) *Le Christ Vie de l'âme*, I, V. — (104) *Dogmes générateurs de Piété*, ch. II. — (105) *Das Wesen des Katholizismus*, ed. 5, c. III. — (106) *De Unitate Eccl.*, 4. — (107) *Eph.*, I, 22-23. — (108) *Eph.*, V, 30. — (109) *Rom.*, XII, 5. — (110) Op. cit., T. I, p. 230. — (111) *Hymn. S. Gabrielis* ad 1 Vesp.

Hujusmodi insuper allusiones in aliis S. Liturgiae locis habentur, ut in hymnis « Vexilla Regis, Pange lingua », etc. De hoc plenissime loquitur Pinto (112), et utiliter consuli potest ephemeris « La Civiltà Cattolica » (113). Post editam Encyclicam « Quas primas » Summi Pontificis feliciter regnantis, de hoc optime scripserunt « Angelicum » (114) Zanchetta (115), etc. Quoad Christum Judicem (116), specialiter insistendum est parti quam Crux habebit in exercitio hujus potestatis, et rationi quam Christus de sua Passione requiret (117).

13. Devotio erga Cor Jesu.

Sed nunc ad corollaria Passionis transeamus. Jamvero inter potiora merito recensetur devotio Sacratissimi Cordis Jesu. Relatio inter devotiones S. Cordis et Passionis facile intelligitur ab iis qui prioris exactam cognitionem habeant. Enimvero ratio principalis cultus erga Cor Jesu est consideratio ejusdem Cordis, quatenus est symbolum illius amoris, « quo Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis », et qui est fons omnium gratiarum quae nobis inde proveniunt (118). Id etiam exprimitur in officio liturgico S. Cordis, cujus invitatorium notam dominantem praebet: « Christum pro nobis passum, venite adoremus ». Cum eadem insuper sententia totum officium congruit et Missa. Auctores qui de hac devotione theologice tractant multi sunt, et citati inveniuntur apud Tanquerey (119). Qui quidem auctores plerumque tradunt hujus devotionis theologiam seu interpretationem communiorem, quam « paraedensem » (120), vocant ut eam distinguant ab interpretatione paulo antiquiore « berulliana » aut « eudista », quae Cor Christi ut symbolum considerat non praecipue amoris sed totius Christi vitae interioris, seu spiritus et personae moralis; quae tamen duae interpretationes non difficile conciliantur, imo sese invicem perficiunt, ut videre est apud Bainvel (121). P. Grou, scholae paraedensis scriptor eximius, jam dixerat: « Cor Jesu est interior ejus

---

(112) Op. cit., I, p. 303-414. — (113) e. g. Marzo 1925. — (114) Martii 1927. — (115) *La regalità di Cristo*; cfr. *Epistola Pii PP. XI ad Card. Van Rossum*, Bollettino 1926, p. 161. — (116) Cfr. S. Thomas, Pars III, q. 59. — (117) S. Alphons., *De Novissimis, de extremo judicio*, VI, 25. — (118) Tanquerey, *Synopsis Theol. Dogm.*, t. II, n. 1223. — (119) Op. cit. — (120) *paraysienne* Cfr. Brémond, *Histoire Litt. du sentiment religieux en France*, III, q. 655. — (121) *La dévotion au S. Cœur de Jésus*, 1917, p. 130-131; cfr. Boulay, *Vie du B. Eudes*, livre III, chap. VII.

vita ». (Le cœur de Jésus est son intérieur) (122). Quo sensu devotio erga Cor Jesu est veluti medulla devotionis erga Jesum Patientem, cujus veneramur amorem et prosequimur spiritum, qui ambo in Passione maxime relucent, etsi vel in Jesu Infantia considerari queant.

14. Devotio erga Christi Infantiam.

Imo Christi Infantia habet intimam cum Passione relationem, a piis personis plane perspectam, quam nobis Passionistis ignorare non licet, et quam abs re non erit hic speciali modo notare. Quidam sunt, ut recens auctor animadvertit, qui cum meditatione Passionis, Infantiae Christi meditationem optime jungunt, gaudiorumque mysteria cum mysteriis dolorosis (123). Quod revera praeclare perspicimus in vita S. Patris nostri Pauli a Cruce, qui speciali veneratione prosequebatur imaginem allegoricam divini Infantis super Cruce dormientis (124); atque in vita servi Dei Laurentii a Jesu Infante, nostrae Congregationis, qui publici iuris fecit allegoricas effigies Infantis Jesu, signum Passionis manibus gerentis. Jure meritoque cum P. Faber dicere possumus: « Passio est Sacrae Infantiae veluti atmosphaera. Lumine Theologiae ac devotionis igne Bethlehem et Calvaria intime connectuntur; scientia enim Christi, inde ab ejus conceptione infusa, et exquisitissima ejus sensibilitas, nos affirmare permittunt: Bethlehem quasi germen Getsemani extitisse, et ab infantia Calvariam argumentum fuisse vitae interioris Cordis Jesu » (125). Ceterum « tota vita Christi Crux fuit et martyrium » (126), uti apparet ex pio volumine P. Thomae a Jesu, O. S. A. (127), et nostrum est, qui Passionis nomine decoramur, hunc D. N. vitae aspectum plurimi facere ejusque momentum illustrare (128).

---

(122) *L'intérieur de Jésus et de Marie*, Paris 1909, p. 366-70; cfr. Brémond, op. cit., p. 629-664; Pourrat, *La spiritualité chrét., III*, p. 586-596. — (123) Plus, *La Folie de la Croix*, p. 29; cfr. Brémond, op. cit., III, p. 536 sq. — (124) *Summar. pro Introd.*, 246; cfr. *Lettere*, III, p. 602-604. — (125) *Bethlehem*, chap. VII. — (126) *Imit.*, II, 12. — (127) *I travagli di Gesù*, ex sermone lusitano in fere omnes alias linguas Europeas translatum; cfr. Pourrat, op. cit., III, p. 183 sq. — (128) P. Seraphim, *Promptuarium*, p. 402.

15. Devotio erga Vultum Sanctum.

Devotio erga Vultum Domini, quamvis minus diffusa, digna est quae nostram attentionem detineat, tum ob ejus originem et antiquitatem, tum ob ejus peculiarem significationem. Enimvero ejus origo ipsi Redemptori, mediante velo S. Veronicae, aliquo saltem modo tribuitur. Quaenam sit, et quam antiqua, Christifidelium devotio erga illam imaginem ejusque imitationes, egregie explicant Bollandistae, qui referunt devotissimam sequentiam cujusdam Missae S. Veronicae: « Salve sancta Facies — Nostri Redemptoris — In qua nitet species — Divini splendoris — Impressa panniculo — Nivei candoris — Dataque Veronicae — Ob signum amoris — Salve Deus saeculi — Speculum Sanctorum — Quod videre cupiunt — Spiritus coelorum », etc. Haec devotio, circa dimidium superioris saeculi, ob prodigium quod Romae contigit in expositione « Vultus Sancti » (129), novum incrementum coepit, praesertim in Gallia, opera cujusdam pii viri, domini Dupont, qui dictus fuit « vir sanctus Turonensis »; recentiorique tempore valde in universo orbe crevit, post expositionem SS. Sindonis Augustae Taurinorum anno 1898, ac specialem tributam a Pio X approbationem « Vultui Sancto » ex eadem Sindone a Celina, sorore S. Theresiae Luxoviensis, depicto (130). Ad significationem hujus devotionis quod attinet, ipsa non secus ac devotio S. Cordis ad totam personam et moralem Christi Patientis physionomiam refertur, « quatenus vultus est speculum animae, et expressio sensibilis moralis caracteris uniuscujusque » (131). Nam « ex visu cognoscitur vir », ut in Scriptura legimus (132), aut ut dicit Divus Hieronymus, « speculum mentis est facies, et taciti oculi mentis fatentur arcana » (133). Quapropter Vultus Sanctus considerari potest non solum in via dolorosa, ut repraesentatur in velo S. Veronicae, aut in mortis requie, uti ex sindone Augustae Taurinorum apparet, sed etiam in ceteris Passionis momentis et praesertim in Cruce. Quamvis « solus angelus Passionis divini illius Vultus expressiones posset effingere » (134), plures tamen artifices, sive scalpro sive coloribus,

---

(129) Cfr. *Le Divin Crucifié*, Revue de la Saint Face, 1911, p. 39; OLLIVIER, *La Passion*, p. 520. — (130) Cfr. *Le Divin Crucifié*, Revue de la Sainte Face, 1911, p. 5; *Golgotha*, 1917, p. 333. — (131) *Le Divin Crucifié*, ut supra, p. 7, 8. — (132) *Eccles.*, XIX, 26. — (133) *Epist.* 70 *ad Furiam.* — (134) Cfr. CHAFFANJON, *Le Crucifix*, ch. IV; *Le visage du Crucifix.*

conati sunt in Vultum Christi Patientis unum vel plures affectus imprimere, quos ipse expressit septem in Cruce verbis, quae pius auctor vocat « Septem Sacramenta Crucifixi — quot verba tot sacramenta » (135). Sicut autem videre est apud Hoppenot (136), egregie idem artifices demonstrarunt, « quomodo imago possit vim et vigorem verborum aequare » (137). Idem affirmare potest de mirificis interpretationibus imaginis « Ecce Homo », quae suum ex divino Vultu valorem desumit. Quae cum ita sint, non difficulter perspicitur quam intime haec divini Vultus devotio cum devotione erga Passionem connectatur, cujus illa pars et species existimatur. Hinc etiam et praedilectio quam erga eamdem nonnulli sancti viri et mulieres professi sunt, ut ex. gr. S. Gertrudis, S. Bernardus, B. Suso, S. Teresia a Lexovio, etc.; quam devotionem peculiares concessiones liturgicae confirmarunt (138), habita ratione declarationis C. S. O. 4 Maii 1892. Ad maiorem harum rerum confirmationem et explicationem consuli possunt nonnuli auctores ut Van Steenkiste (139), Foucault (140), Janvier (141), Glückselig (142), Calmet (143), Groenen (144), Janssens (145), Venturini (146), etc.

16. Devotio erga Pretios. Sanguinem.

Devotio erga Pretiosissimum Sanguinem « est etiam species devotionis erga Passionem, seu modus omnia Passionis mysteria in unum jungendi » (147). Sanguis Pretiosissimus nostrae Redemptionis pretium est et potissimum symbolum, quod praesertim in relativo officio liturgico apprime notatur, in cujus invitatorio legimus: « Christum Dei Filium, qui suo nos redemit sanguine, venite adoremus ». « Theologia Pretiosissimi Sanguinis arctis nexibus jungitur et connectitur cum theologia Ecclesiae et Sacramentorum. Aliquo sensu tota Ecclesiae historia eadem est ac historia Pretiosissimi Sanguinis, quippe quae potissimum locum obtinet in doctrina Redemptionis. At vero quatenus est devotio

---

(135) Arrighini, O. P., *Ecce Homo*, p. 143-186. — (136) *Le Crucifix*, 5 édit.; *Les sept paroles*, p. 19-27. — (137) Menzel, *Christliche symbolik, vorr.*, p. 111. — (138) Cfr. Holweck, *Calendarium liturgicum festorum*, etc., The Dolphin Press, Philadelphia, 1925. — (139) *Evang. sec. Matthaeum*, p. 1066, 1302 sq.; cfr. *Le Divin Crucifié*, passim; *Golgotha*, 1914, p. 134 et 1917, passim. — (140) *The Holy Face of Jesus.* — (141) *Noted Sanctuaries of the Holy Face.* — (142) *Christus-archäologie und seinem wahren ebenbilde.* — (143) *Dissert. de forma J. C.* — (144) Op. cit., p. 441-443. — (145) *De Deo Homine*, p. 49. — (146) *Via Crucis*, Stat. VI; cfr. *Decr. S. O.*, 4 Maii 1892. — (147) Faber, *The Precious Blood*, VI.

peculiaris et distincta, ejus historia incipit cum Apostolo Paulo, quem merito appellare possumus doctorem Pretiosissimi Sanguinis et hujus specialis devotionis auctorem, si argumentum sumamus ex alacritate, qua in suis epistolis de eodem pertractat, veluti de re suo amori acceptissima » (148). Lectores nostri has et similes theologicas considerationes explicare possunt utendo praeclarissimo opere P. Faber, vel etiam B. Vincentii M. Strambi (149), Mazzola (150), Janssens (151), et P. Seraphim (152).

17. Devotio erga Quinque Vulnera.

Jesu Christi Quinque Vulnera speciali quoque coluntur devotione et quidem antiquissima (153), Ecclesiae sanctione munita, officii liturgici et indulgentiarum concessione. Ceterum praefata devotio cum devotione erga Passionem prope identificatur a quibusdam auctoribus, qui de illa tractant ex professo, ut Quaresmio (154), Casalicchio (155); dum ab aliis Quinque Christi Vulnera ut mysticae et symbolicae mansiones considerantur, inter quos Auriemma (156), S. Bernardus (157), Saint-Jure (158), Janssens (159), et P. Seraphim (160).

18. Passionis instrumenta.

Aliud corollarium Tractatus « De Deo Redemptore » respicit cultum Verae Crucis et instrumentorum Passionis. De hoc in aliis etiam programmatis locis sub respectu exegetico et historico agitur. Ad partem dogmaticam quod attinet, necessarium est distincte enucleare ac defendere cultum qui debetur reliquiis Verae Crucis et instrumentis Passionis, tum etiam crucifixis et piis Jesu Patientis imaginibus. De hoc tractant Manuales scholastici, aliique nonnulli auctores ut Petavius (161), Gretser (162), Billuart (163), Marcus Vigerius Card. (164), P. Seraphim (165), etc.

---

(148) Faber, loc. cit. — (149) *Il Mese di Luglio cons. al Prez. Sangue.* — (150) *Le Grandezze del div. Sangue.* — (151) Op. cit., p. 49. — (152) *Prompt.*, p. 368. — (153) Cfr. Pourrat, *La Spirit. chrétienne*, Table analytique, voc. « plaies ». — (154) *De SS. D. N. J. C. Quinque Vulneribus*, Tom. V. — (155) *Stimoli all'amore delle SS.me Piaghe.* — (156) *Stanza delle anime nelle Piaghe di Gesù.* — (157) *Serm. 6 in Cant.* — (158) *Le livre des élus*, ch. VIII. — (159) *De Deo Homine.* — (160) *Prompt.*, p. 371. — (161) I. XV, 7-10. — (162) *De Cruce*, libri V. — (163) *De Incarnatione*, diss. XXIII, art. IV. — (164) *De excellentia Instrumentorum Dominicae Passionis.* — (165) *Promptuarium*, p. 471.

19. Aliae devotiones.

Aliae praeterea sunt devotiones erga peculiaria mysteria Passionis, ab Ecclesia per concessionem officii liturgici approbatae, aut Sanctorum pietate commendatae, ut devotio orationis et agoniae in horto, flagellationis, spinis coronationis, mysteriorum Viae Crucis (de qua Fratres Minores officium proprium recitant) etc. Ne autem in hac re nimium immoremur, de his in particulari non agimus. Tantum cum P. Faber notatum volumus « theologiam harum devotionum ac earundem initii, inaugurationis et propagationis modum, constituere quoddam complementum quatuor Evangeliorum, asceticas reproductiones internarum dispositionum D. N. J. C., ejusque vitae mysticas continuationes »; relate vero ad Ecclesiam, « easdem devotiones esse internarum affectionum ejusque vitae intrinsecae manifestationem » (166). Penes eumdem auctorem (167) videri potest ratio theologica varietatis et multiplicitatis Devotionum.

20. Compassio B. Mariae V.

Ad Passionis theologiam perficiendam necessarium est de Compassione B. V. Mariae quoque tractare. Nam talis fuit, ut verbis Pii PP. X utamur, « Matris et Filii numquam dissociata consuetudo, ut aeque in utrumque caderent Prophetae verba, " defecit in dolore vita mea et anni mei in gemitibus „ (168). Quum vero extremum Filii tempus advenit, " stabat juxta crucem Jesu mater ejus „ non in immani tantum occupata spectaculo, sed plane gaudens quod " Unigenitus suus pro salute generis humani offerretur, et tantum etiam compassa est, ut, si fieri potuisset, omnia tormenta quae Filius pertulit, ipsa multo libentius sustineret „ (169). Ex hac autem Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis, " promeruit illa ut *reparatrix* perditi orbis dignissime fieret „ (170). Atque ideo universorum munerum dispensatrix quae nobis Jesus nece et sanguine comparavit; et pro ea, quam diximus, dolorum atque aerumnarum Matris cum Filio communione hoc Virgini augustae datum est, ut sit " totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum mediatrix et conciliatrix „ (171). A Christo ascita in

---

((166) *The Precious Blood*, ch. VI. — (167) Ibidem et *Growth in holiness*, ch. XXII; cfr. Buathier, *Le Sacrifice*, 8ième éd., p. 90. — (168) *Ps.* XXX, 11. — (169) S. Bonaventura, L. Sent., d. 48, dub. 4. — (170) Eadmeri Mon., *De Excellentia Virg. Mariae*, c. 9. — (171) Pius IX, *in Bulla « Ineffabilis »*.

humanae salutis opus, de congruo, ut ajunt, promeruit nobis quae Christus de condigno promeruit » (172). Hucusque Pius X. Hoc sensu a fortiori B. M. V. convenit quod Apostolus de se dicebat: « adimpleo ea quae desunt passionum Christi pro corpore ejus quod est Ecclesia » (173), quatenus ejus compassione coredemptrix nostra exstitit, et « collum capitis nostri, per quod omnia spiritualia dona corpori ejus mystico communicantur » (174). Quae omnia diffusius exponuntur apud Faber (175), Card. Lépicier (176), Meregalli (177), Campana (178), P. Seraphim (179). Etsi autem compendiose tantum ea omnia in schola explicari poterunt, locus quem devotio erga Deiparam Perdolentem in vita spirituali S. Patris nostri obtinuit sufficiens ratio est ut paulo fusius de ea in scholis nostris agatur.

21. Gratia relate ad Passionem.

Expleto tractatu de Deo Redemptore fit transitus ad tractatum de Deo Sanctificante, seu de Gratia, quae cum Christi Passione relationem habet maximi momenti. « Omnis enim gratia ac proinde omnis motus in ordine supernaturali a Christo Redemptore venit » (180). Quo sensu « de plenitudine ejus nos omnes accepimus (181) et, ut Tridentinum ait: « Nemo potest esse justus nisi ei merita Passionis D. N. J. C. communicantur, dum ejusdem sanctissimae Passionis merito per Spiritum Sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur » (182). « Ille ipse Christus Jesus tamquam caput in membra et tamquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influit » (183). Proinde, etsi Passio non sit causa formalis gratiae, ob ejus causalitatem meritoriam, metonymice et sensu Tridentini dici potest gratiam esse veluti succum spiritualem et mysticum sanguinem, qui a Christo Crucifixo, ut a vite in palmites et a capite in membra, diffunditur, quae ideo corporis mystici « subsistentia » a quodam pio auctore vocatur (184). Quae omnia fu-

---

(172) Pius X, *Encycl.* « *Ad diem illum* ». — (173) *Col.*, I, 24. — (174) S. Bernardinus Sen., *Quadrag. de Evangelio aeterno*, serm. X, a. 3, c. 3. — (175) *The Foot of the Cross*, ch. IX. — (176) *Tractatus de B. V. M.*, ed 4ª, Pars. II, cap. II, art. 11. — (177) *L'Addolorata nel Dogma, nella divozione, nella liturgia*, etc. — (178) *Maria nel dogma catt.*, p. 142-166. — (179) *Prompt.*, p. 375, 392, 614. — (180) Tanquerey, *Synop. Theol. Dogm.*, De Deo Redemptore, 1115. — (181) *Joh.*, I, 16. — (182) Sess. VI, c. 7. — (183) Ibid. c. 16. — (184) P. Chardon, O. P., *La Croix de Jésus, ou les affinités de la grâce et de la Croix*, Tome I, ch. II.

sius exponuntur apud dogmaticos, ubi agunt de gratia Christi (185).

22. Passio et Sacramenta.

Ad Sacramenta autem quod attinet, « manifestum est quod specialiter habent virtutem ex Passione Christi, cujus virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum, in cujus signum de latere Christi pendentis in Cruce fluxerunt aqua et sanguis, quorum unum pertinet ad Baptismum et aliud ad Eucharistiam, quae sunt potissima sacramenta;... virtus autem remissiva peccatorum speciali quodam modo pertinet ad Passionem ipsius Christi;... et ideo virtus sacramentorum (Baptismi et Poenitentiae) quae ordinatur ad tollenda peccata, praecipue est ex fide Passionis Christi » (186). Imo omne « sacramentum est signum rememorativum ejus quod praecessit, scilicet Passionis Christi, et demonstrativum ejus quod in nobis efficitur per Christi Passionem, scilicet gratiae » (187). Quae omnia fusius explicantur apud auctores Billuart (188), Hugon (189), Billot (190), Van Noort (191), Pesch (192), Haine (193), etc.

23. Eucharistia memoriale Passionis.

Quae praecedunt hujus nostri studii rationem quoad sacramenta in genere, et praesertim quoad Baptismum et Poenitentiam, satis superque declarant. Reliquum est ut aliquid exponamus circa Eucharistiam, quae vi institutionis est speciale Passionis memoriale, quum « Dominus noster, ut Ecclesiae visibile relinqueret sacrificium, quo cruentum illud in cruce peragendum repraesentaretur ejusque memoria in finem usque saeculi permaneret, novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum, in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit eripuitque de potestate tenebrarum, et in regnum suum transtulit » (194). « Ideo Eucharistia primum con-

---

(185) Cfr. JANVIER, *La Passion de N. S. J. C. et la Morale*, VIII, *Le Rôle de la Passion dans la vie de la grâce;* POHLE-PREUSS, *Grace*, p. II; SUAREZ, *De Gratia*, proleg. III, c. II; NIEREMBERG, *Della preziosità della Grazia*, Lib. I, c. XVI. — (186) S. THOM., III, q. LXII, a. V. — (187) *Summa*, III, q. 60, a. 3. — (188) *De Sacramentis in comm.*, Diss. I, art. II. — (189) *De Sacr. in comm.*, p. 15 sq. — (190) *De Eccles. Sacram.*, p. 26. — (191) *De Sacramentis*, p. 8. — (192) *De Sacram. in genere*, p. 21. — (193) *Theol. Mor.*, II, De virtute Sacramentorum. — (194) Trid. Sess. XXII, c. I.

sideranda est ut sacrificium, nam, ut sic, praecedit Eucharistiam qua sacramentum, seu qua ordinatam ad participationem victimae immolatae » (195). « Quod satis quoque innuitur aut supponitur a S. Thoma, ubi explicat ritum hujus sacramenti consistere in Christi immolatione (196). De habitudine hujus immolationis, seu sacrificii eucharistici, ad sacrificium Crucis et Passionis fusius tractant auctores, quam ut necesse sit hic aliud addere (197). Eucharistia autem ut sacramentum strictissimam quoque cum Passione relationem habet, quatenus consistit in participatione hostiae seu victimae immolatae (198). Ideo essentia hujus sacramenti a Billuart reponitur « in re ex actione sacrificativa permanente » (199). Reipsa vi verborum Christus praesens est in Eucharistia in statu immolationis, connotante non solum totam incruentam liturgiam Missae sed etiam cruentam illam Passionis. Idcirco pius scriptor, metaphora desumpta ex hostiis pacificis antiquae legis (200), Eucharistiam vocat « crucis bellaria, clibano crucis cocta, crucis craticula tosta, sartagine crucis frixa » (201). Eodem sensu a Patribus cibus Eucharisticus exhibetur ut participatio sacrificii cruentis, ut fuse demonstrat de la Taille (202): « Nos de cruce Domini pascimur quia corpus ipsius manducamus », ait S. Augustinus (203). Et alibi: « nos manducando crucifixum et bibendo, illuminamur » (204). Item plures auctores loquuntur de pane eucharistico et de carne Christi ut « Passionis igne cocta et assata » (205). Quae pro theologia dogmatica indicasse sufficiat. De ejusdem enim doctrinae consectariis moralibus, asceticis et spiritualibus pauca dicemus infra loco proprio.

---

(195) Anger, *La doctrine du Corps mystique de J. C.*, 1929, p. 157; cfr. M. de la Taille, *Mysterium fidei*, Praefatio et passim. — (196) III, p. 83, a. 1; cfr. Marmion, *Le Christ vie de l'âme*, II, vii. — (197) Cfr. Billuart, *De Almo Euch. Sacr.*, Dis. VIII, art. ii; Hugon, *De SS. Euchar.*, q. 9, art. 1; Billot, *De Sacrific. Missae*, thes. 54; Van Noort, *De SS. Euchar.*, cap. III; Pesch, *De Euchar.*, sect. III, art. ii; De la Taille, *Mysterium Fidei*, lib. II; Gihr, *Das heilige Messopfer, dogmastich, liturgisch und ascetisch erklart.* — (198) Cfr. Anger, op. cit., p. 157. — (199) Loc. cit., diss. VIII, art. 3, petes 4. — (200) *Levit.* II, 4, 7-vi, 8. — (201) Pinto, Op. cit., I, lib. v, tit. 3, loc. 7. — (202) Op. cit., elucid. XX. — (203) *In Ps. 100*, n. 9. — (204) *In Ps. 33*, serm. 2, n. 10. — (205) Apud De la Taille, op. cit.

Jam nunc ad sacramentalia properare possumus, quorum relatio generica ad Passionem in hoc consistit, quod suam efficaciam desumunt ex opere operantis Ecclesiae, « sacramento Crucis Christi fundatae », ut dicit S. Leo (206). Ecclesia scilicet sacramentalia instituit, ad fontem a cruce scaturientem, etiam « sacramentis minoribus », ut apud veteres vocabantur (207), latius distribuendum (208). Ex sacramentalibus vero specialem cum Passione relationem habent nonnullae coeremoniae et liturgicae orationes Missae et officii divini, benedictiones crucis quae Rituali continentur, atque imprimis ipsum SS.mae Crucis signum. De Passione in Liturgia suo loco tractabimus; hic tantum sequentem subiicimus indicationem quoad signum Crucis. Illud inter sacramentalia recenset notus versus mnemotecnicus: « crux, aqua, nomen, edens, ungens, jurans, benedicens » (209). Hoc signum adhibetur « ut Christi passionis memoria servetur, publiceque appareat nostram fiduciam in Christo positam esse, nosque in ejus cruce gloriari; confirmatum fuit multis miraculis quae a Patribus narrantur et in actis martyrum et sanctorum leguntur » (210).

24. Passio et Sacramentalia.

Indulgentiae quoque ad Christi Passionem referendae sunt, quia ejus satisfactiones constituunt praecipuam et essentialem partem thesauri Ecclesiae, ex quo indulgentiae hauriuntur. Ut eleganter scripsit Sertillanges: « Sacrificium crucis fuit prima indulgentia pro nobis lucrata, et ab ea omnes aliae derivantur. Visitando Calvariam, enumerando rosarium dolorum, bajulando scapulare crucis, addiscendo orationem quinque Vulnerum, sitienti demum terrae sanguinis eleemosynam tribuendo, Christus lucratus est indulgentiam plenariam, ejusque imitatores thesaurum auxerunt, " adimplendo ea quae desunt passionum Christi pro cor-

25. Passio et indulgentiae.

---

(206) *Serm. 7 in Nativ. Apost. Petri et Pauli.* — (207) Cfr. Prümmer, *Manuale Theol. Mor.*, III, 89. — (208) Cfr. Sertillanges, L'Eglise, II, ch. I. — (209) Cfr. Hugon, *De Sacram. in comm.*, q. 6, art. III, V; Van Noort, *De Sacr.*, n. 154; Sertillanges, *L'Eglise*, I, III, II, ch. VII. — (210) Tanquerey, *De Deo Redempt.*, n. 1283; Sertillanges, l. c.; Gretser, *De Cruce Christi*, T. III, I, III; Bosius, *Crux thiumphans et gloriosa*, lib. VI; Van Steenkiste, *In Matth.*, p. 109; et opella anonyma; *Richesses insoupçonnées du Signe de la Croix.* La Croisade, 11, Rue Dupin, Paris.

pore ejus quod est Ecclesia ,, , ut ait Apostolus » (211). Idem jam exposuerat Clemens VI in Constitutione « Unigenitus Dei Filius », qua explicat Ecclesiae thesaurum consistere primarie in superabundante profluvio sanguinis, a Christo effuso pro redemptione generis humani (212). Distributio autem ejusdem thesauri fundatur in doctrina corporis mystici, quatenus Redemptione (Passione) Christi et alter alterius sumus membra (213). Abstinemus ab aliis auctoribus citandis, quum agatur de materia de qua omnia fere manualia scholastica tractant.

26. Ethica Passionis.

Nunc veniendum est ad Passionem in ordine practico, et primum ad Passionem respectu Theologiae moralis, seu « doctrinae de virtutibus et officiis christianis, quae homo adimplere debet ad finem supernaturalem assequendum » (214). Quocirca scripsit S. Legifer noster in I° capite Constitutionum nostrarum: (Passionis) « proficua ac salubris cogitatio efficacissima est ad abstrahendos humanos animos ab iniquitate, ducendosque ad christianam perfectionem quo tendimus ». Et revera, « in Passione sua Jesus Christus nobis praebet omnia exempla, omnia documenta, omnia auxilia quibus indigemus ad discernendum bonum a malo, ad hoc fugiendum illudque faciendum, ad recte vivendum vitamque aeternam consequendam » (215). Hoc fusius P. Janvier in citato opere ostendit, non quidem ex uno aliove textu instructionum moralium occasionem tantum sumendo, ut fecerat, e. g. Scalabonius, in opere coeteroquin mirae eruditionis (216), sed in ipsa Passione perpendendo vitae moralis praecipua principia et fundamenta, ita ut vere appareat, quod alius auctor scripsit, « Passionem esse Evangelii ethicam in actu » (217). Hoc etiam docet Catechismus Rom.: « vere dicere possumus Salvatorem nostrum, quaecumque vitae praecepta toto praedicationis suae tempore verbis nos docuit, ea omnia uno Passionis die in se ipso expressisse » (218).

---

(211) *L'Eglise*, L. III. II, ch. IX. — (212) PESCH, *De Sacr. Poenit.*, 462 sq. — (213) Cfr. PESCH, l. c.; ANGER, Op. cit., p. 356; K. ADAM, Op. cit., c. VIII. (214) PRÜMMER, *Manuale Theol. Mor.*, I, 2. — (215) JANVIER, *La Passion de N. S. J. C. et la morale chrétienne*, Préface. — (216) *Moralia in Passionem D N. J. C.*, Ravennae 1620. — (217) VAN STEENKISTE, Op. cit., p. 1597. — (218) Pars I, c. V.

27. Passio et theologia moralis.

Praeter generalem illam relationem inter Passionem et ethicam christianam, plura habentur in Theologia morali quae speciatim ad Passionem referri possunt. Piissimus auctor opusculi cui titulus « Stimulus amoris » (S. Bonaventurae operibus diu adnumeratus sed probabilius a Jacobo Mediolanensi conscriptus) (219) in Passione considerat praecepta decalogi, virtutes theologicas et morales, dona et fructus Spiritus Sancti, octo beatitudines etc. (220). Quae tamen arcessita forsan videbuntur; ideoque faciliora potius proponimus, ex. gr. sacramenta et sacramentalia, indulgentias, exercitia pietatis, opera misericordiae, et alia quae « ingeniosissimus amor » (221) forsan inveniet. Quoad sacramenta, sacramentalia et indulgentias, hic solum animadvertendum in ordine ad praxim a theologo morali consideranda esse ea quae de iisdem indicavimus quoad Theologiam dogmaticam. De Eucharistia speciatim notetur huc quoque referenda esse quae de eadem dicemus infra ubi de Missa et Communione respectu vitae spiritualis. De exercitiis pietatis agunt moralistae ubi de virtute religionis et de oratione, seu de 1° decalogi praecepto (222). Expedit ut nostri paulo fusius ibi tractent de iis quae Passionem respiciunt, qualia sunt, ex. gr. exercitia Viae Crucis et Horae Sanctae, devotiones erga Cor Jesu, Vultum Sanctum, Pretiosissimum Sanguinem, Quinque Vulnera et Septem Dolores, mysteria dolorosa Rosarii, piae peregrinationes, etc. (223). Ad peregrinationes quod attinet, de ipsis nonnulli theologi tractant qua actibus religionis (224). Proinde in regionibus ubi frequentatur aliquod sanctuarium Passionis, praestat ut nostri theologice quoque rem considerent (225). De aliis devotionibus supradictis solum notamus relate ad praxim hic consideranda esse quae supra speculative indicavimus. De officio canonico agetur ubi de Liturgia, de meditatione vero ubi de Theologia spirituali. Restat ut speciatim aliquid dicamus de Via Crucis, Hora Sancta et operibus misericordiae.

---

(219) Cfr. POURRAT, *La spiritualité chrétienne*, II, p. 277. — (220) P. I, cc. V-X. — (221) *Regula*, 132. — (222) HAINE, *Theol. Mor.*, I, p. 355. — (223) Cfr. THIEPOLO, Op. cit., Tratt. II. — (224) HAINE, *Theol. Mor.*, I, p. 359; BEYERLINCK, *Magnum Theatrum vitae humanae*, T. VI, p. 174 sq. — (225) Cfr. *Catholic Encycl.*, voc. *Pilgrimages*; Enciel. *Espasa*, voc. *Peregrinación*; *Kirchenlexicon*, voc. *Wallfahren*.

28. Stationes Viae Crucis.

Missionariis nostris imponit S. Regula ut « ad pie meditanda vivificae Passionis et mortis Jesu Christi sacra mysteria populos non hortentur tantum, verum etiam instruant » (226). Huic fini, inter coetera, medium aptissimum est exercitium Viae Crucis, utpote omnium captui accomodatum et a Romanis Pontificibus, signanter Benedicto XIV, summopere commendatum, « cum tanta sit passionis, crucis et mortis D. N. J. C. vis, ut nullum reperiatur tam efficax remedium ad curandum conscientiae vulnera,... ad purgandam mentis aciem, divinoque amore inflammandam » (227), « nullaque praxis, post sacramenta actusque liturgicos, utilior animabus nostris, quam devotum exercitium Viae Crucis » (228). Ideo Capitulum Gen. XXXI idem exercitium missionariis nostris promovendum commendat, juxta S. Fundatoris exemplum (229), quod adeo nostrates in America Sept. imitati sunt ut a frequentia illius exercitii dignoscantur paroeciae ubi sacram missionem praedicaverint. Auctores Viam Crucis exponunt non solum juxta sensum litteralem, verum etiam juxta sensum mysticum et allegoricum, ut Venturini (230), Ardito (231), Marmion (232) etc. Ingeniosae autem et quasi esotericae interpretationis, quam proponit Cordelier (233), curiositatis et eruditionis, potius quam pietatis et devotionis causa, mentionem facimus. De ejusdem exercitii historia alibi redibit sermo.

29. Horae Sanctae exercitium etc.

Exercitium Horae Sanctae, in spiritu reparationis et amoris erga Dominum nostrum Jesum Christum in Getsemani, originem habuit ex revelatione Sanctae Margaritae Alacoque, quam piam praxim « non solum Ecclesia probavit, sed etiam copiosis spiritualibus largitionibus locupletavit » (234). Omnibus notum est idem exercitium frequentasse Gemma Galgani, cum maximo fructu spirituali, ut videre est in ejusdem « Vita ». De Hora Sancta

---

(226) *Reg.* 191. — (227) Bened. XIV, *Breve « Cum tanta »*. — (228) Marmion, *Le Christ dans ses mystères*, XIV, I. — (229) *Lett.*, III, p. 141. — (230) *Via Crucis esposta e meditata.* — (231) *La Via Dolorosa.* — (232) Marmion, l. cit. — (233) *The Path of the Eternal Wisdom - a Mystical Commentary on the Way of the Cross.* — (234) Pius XI, *Acta A. S.*, XX, p. 173.

tractant libri plurimi et auctores, ex. gr. P. Matthaeus Grawley (235), Pourrat (236), etc.

30. Opera misericordiae.

De operibus misericordiae agunt moralistae, ubi de caritate erga proximum, et sub iis comprehendi etiam potest caritas erga animas Purgatorii (237). Porro docuit e. g. Beata Baptista Varani Christum in sua Passione, et speciatim in Getsemani, pertulisse mentaliter incommoda et dolores omnes membrorum corporis sui mystici, in hac vita et in Purgatorio, ita ut hoc sensu sumi queat prophetia Isaiae: « Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit » (238). Idem docent Pacciucchelli (239), Pinto (240), Nieremberg (241), Cornelius a Lapide (242), qui dicit: « omnes ergo dolores quos tolerarunt vel tolerant electi transierunt per illam sacram Humanitatem », et proinde ita interpretari possumus illud Christi: « quamdiu fecistis fratribus meis minimis, mihi fecistis » (243). Juvabit illam doctrinam nostris declarare, ut ipsi compassionem erga Jesum Patientem proponant ut motivum compassionis erga proximum.

31. Passionis ratio paraenetica.

Nunc veniendum est ad studii practici Passionis partem praecipuam, nempe ad Passionis rationem paraeneticam, seu ut est documentum, stimulus et exemplar vitae spiritualis, sive asceticae sive mysticae. Paraenesim Passionis proinde, brevitatis causa, vocamus ejusdem habitudinem ad Theologiam spiritualem, quam ex decreto XVI Cap. Gen. XXXI nostri addiscere debent. De Passionis Christi parte in vita ascetica et mystica sive historice sive doctrinaliter tractari potest. Sub primo aspectu de ea disserit historia, quam vocant, spiritualitatis, quae est pars historiae Ecclesiae; sub altero vero respectu, hic eam attingere volumus, ut aliquas indicationes, normasque, Lectoribus et Studentibus Theologiae ascetico-mysticae praebeamus. Praemittimus hanc Theologiam plerumque versari in psychologia subjectiva, elicitiva et, uti dicunt, structurali (244) vitae interioris, seu circa gradus

---

(235) *Ora Santa.* — (236) *La spiritualité chrét.*, VI, p. 409; cfr. etiam *Lettre Pastorale de l'Evêque d'Autun*, 4 Nov. 1929. — (237) Cfr. *The Sign*, Nov. 1929, p. 226. — (238) LIII, 4. — (239) *Discorsi sopra la Passione*, Lib. II, Disc. IX, 10. — (240) Op. cit., II, p. 279. — (241) *Prodigio del div. Amore*, lib. IV, c. I. — (242) *In Isa.*, LIII, 4. — (243) *Matth.*, XXV, 40. — (244) Cfr. GARDEIL, *La structure de l'âme et l'expérience mystique.*

orationis activae et passivae, et partem quam in ea habent animae facultates, gratia, virtutes, dona, etc. — studium quidem necessarium et commune scholis omnibus, de quo tamen hic non tractamus. De psychologia enim objectiva vitae interioris nos loqui intendimus, de ejus nempe tenore et argumento, quod varios aspectus peculiares assumere potest, juxta diversas « spiritualitatis » scholas, Benedictinam ex. gr., Dominicanam, Franciscanam, Ignatianam, Sulpitianam, Salesianam, Oratorianam, etc. (245). Scholae quas memoravimus, definiri possunt: « complexus seu summa doctrinarum, sententiarum, piarum exercitationum institutionumque, quas Fundator haereditate reliquit iis qui ejus praeclaram sequuntur semitam, portionemque spiritualis posteritatis constituunt » (246). Hujusmodi scholae sibi spiritualitatis monopolium non adjudicant, sed varios aspectus constituunt ditissimi et inexhausti objecti doctrinae christianae, variasque vias, diversis vitae animique conditionibus accomodatas, quibus ad christianam perfectionem pervenitur. Inter istas autem spiritualitatis vias, eadem ac inter virtutes morales intima relatio et analogia intercedit (247), vi cujus qui unam perfecte colit, ceteras quoque sequatur. Quapropter uni speciatim, mediisque relativis, insistendo, alias non excludimus, quinimo supponimus. Jamvero nos de spiritualitate a Passione loqui intendimus, quae quidem semper extitit in Ecclesia, sed cujus signifer praeclarus fuit S. Paulus a Cruce, qui veluti spirituali haereditate, munus nobis transmisit eam alendi et fovendi in Ecclesia. De ea proinde fusius nobis erit agendum, utique eatenus tantum quatenus vita interior ab humana industria, juvante divina gratia, dependet. Atque hac in re praemittere opus erit, etiam in altioribus gradibus vitae interioris infusae seu passivae, cujus ratio in nostra non est potestate, dari activa intervalla, circa quae versantur multae, quas magistri spirituales nobis proponunt, commendationes (248). Ita S. Teresia in sextis mansionibus

---

(245) Cfr. *Ecoles de Spiritualité.* - *La Pensée Catholique*, Liège; Tanquerey, *Précis de Théologie ascétique et mystique; liste chronologique des auteurs*; Saudreau, *La piété à travers les âges*, ch. XL. — (246) *Ecoles de Spiritualité*, p. 28; Picart, *Tout au Divin Amour*, ed. 1927, p. 24 (Trad. Italiana, p. 60). — (247) Cfr. ex. gr. Prümmer, *Man. Theol. Mor.*, I, 464-466; Haine, *Theol. Mor.*, I, 285. — (248) Cfr. Baker, *S. Sophia*, 3 treat., sect. 4, ch. I, 9, ch. III, 1; S. Paolo della Croce, *Lettere*, passim; cfr. *Antonianum*, a. IV, p. 447-449.

(Castelli interioris), quae extaticae unioni et desponsationi respondent (249), nobis commendat considerationem Passionis, « quia ego scio, inquit, hoc tibi altiorem orationem non impediturum ». Tantumdem docebat sanctus Legifer noster, ut ex vita sua et litteris satis superque apparet. Igitur, cum de spiritualitate a Passione loquimur, ad activam partem spectamus, quae passivam praecedit et comitatur; passiva autem alterius objecto plerumque respondet, ut in vita sanctorum conspicimus, nam Deus ad uniuscujusque dispositiones ita se conformat ut effatum illud, quamvis cum grano salis, possit hic applicari: « omne receptum ad modum recipientis recipitur »; quod etiam S. Teresia innuit (*Vita*, c. XXII), ex stigmatibus S. Francisci (dono passivo) arguens ejusdem devotionem activam erga Christi Passionem.

32. Spiritualitas a Passione.

Jam igitur principia spiritualitatis a Passione breviter exponamus. Controversias circa distinctionem asceticam inter et mysticam consulto omittentes, utramque attingimus sub unica denominatione « Theologia vitae spiritualis seu perfectionis christiane » (250). Haec perfectio, juxta doctorum sententiam (251) in caritate consistens, et in obliquo importans plenitudinem aliarum virtutum (252), est finis cujuslibet spiritualitatis, attentisque peccati originalis consequentiis, exprimi potest his S. Pauli verbis: « expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induimini Dominum Jesum Christum, novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis, hoc scientes quia vetus homo simul crucifixus est, ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est » (253). Ita duo essentialia elementa habemus christianae viatorum perfectionis, amorem et sacrificium, de quorum primatu, non in ordine ontologico seu dignitatis, in quo caritas facile excellit, sed in ordine chronologico et practico, auctores disputant (254). Quoquo modo res se

(249) Cfr. Noval, *Theol. Ascet. et myst.*, p. 291; Garrigou-Lagrange, *Perfection chrétienne*, VIII, p. 314-318. — (250) Cfr. Tanquerey, Op. cit.; Garrigou-Lagrange, Op. cit.; Naval, Op. cit.; Schrijvers, *Les principes de la vie spirituelle*. — (251) Cfr. Naval, Op. cit., p. 20, et auctores ibid. citatos. — (252) Garrigou-Lagrange, Op. cit., p. 170; Passerini, *De statib. homin.* in II. II, q. 184, 1, p. 20, n. 8. — (253) *Col.*, III, 9; *Rom.*, XIII, 14; *Ephes.*, IV, 6; *Rom.*, VI, 6; *II Cor.*, V, 15. — (254) Cfr. Tanquerey, Op. cit., nn. 328-334; Heerinckx, *Antonianum*, 1929, p. 445.

habeat, certum est duo elementa mutuo compenetrari et connecti debere, cum in hac vita amor sine sacrificio et sacrificium sine amore esse non possit (255). Imo proportione directa haec se habent ad invicem, tum quia sacrificium est expressio et stimulus amoris (256), tum quia « libertas a peccato et servitus justitiae », quas ad mentem D. Thomae (257) importat caritas, respective important mortificationem et exercitium virtutum. Unde illud: « Tantum profeceris quantum tibi vim intuleris » (258). Cum hujusmodi sit christianae perfectionis constitutivum, videndum est quibus mediis Christi Passio ad eam assequendam adhiberi possit.

33. Devotio erga Passionem.

Jamvero primum medium erit specialis devotio erga Jesum Patientem. Devotionem hic sumimus non sensu proprio theologorum (259), sed sensu quo scriptores rerum spiritualium hoc verbo utuntur. « Devotio igitur specialis habetur quando, sive propter naturalem propensionem, indolem, tendentiam; sive ob quasdam associationes cum intima animae historia aut ob divinae gratiae impulsum, vehementer trahimur sive erga peculiaria vitae Domini mysteria, sive erga quaedam Dei attributa, sive etiam erga quosdam angelos et sanctos, magis quam erga alios » (260), ita ut specialem partem in vita nostra spirituali obtineant. Hoc sensu apud optimos Latinitatis scriptores « devotio est studium ac voluntas qua alicui addicimur ac veluti consecramur », studium nempe secundo sensu, quem sub initio hujus epistolae notavimus (261). Idcirco devotione erga Jesum Patientem intelligimus studium illud ac voluntatem eidem locum specialem in nostra vita interiori tribuendi, habita etiam ratione devotionum affinium quas supra sub nn. 13-20 indicavimus. En primum medium spiritualitatis a Passione (262).

---

(255) Cfr. Buathier, *Le Sacrifice dans le Dogme catholique et dans le vie chrétienne.* — (256) Tanquerey, *Précis*, 1475; Naval, Op. cit., 46. — (257) II. II, q. 83, a. 4. — (258) *Imit.*, I, 25. — (259) II. II, q. 82; Prümmer, Op. cit., II, 328 sq.; Bucceroni, *Instit. Theol. Mor.*, n. 451. — (260) Faber, *The Bl. Sacrament*, L. II, s. 1. — (261) Forcellini. — (262) Cfr. P. Robertum, *Aurifodina*, voc. *Passio Christi.*

34. Jesu Patientis imitatio.

Secundum erit sibi Jesum Christum ad imitandum proponere (263), cujus « tota quidem vita crux fuit et martyrium » (264), sed in cujus Passione summo gradu resplendent amor et sacrificium, veluti efficacissimum incitamentum, « eminentissima omnium virtutum idea, et exemplar clarissimum perfectionis » (265), ut quemadmodum ipse « dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis » (266), ita et nos una cum ipso faciamus. Hoc crebre commendant tum Patres et antiquiores scriptores, qui Christum dicunt regulam, exemplar, imitandum, induendum, etc. (267), tum Doctor mysticus, S. Joannes a Cruce, qui « pati et contemni » cupiebat, ut melius imitaretur Christum Patientem (268).

35. Christo Patienti incorporatio.

Tertium medium erit applicatio doctrinae de Jesu Christi corpore mystico eodem spiritu quo S. Bernardus ajebat: « Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum. Non est magnum si compatitur membrum capiti, cum quo est glorificandum; non sine membris caput invenitur in regno; si tamen membra fuerint conformia sibi et cohaerentia capiti suo, conformia moribus, cohaerentia fide » (269). Sic enim Jesum Christum induemur (270), imo erimus « Christifacti » (271), idest « concorporati illi ut in illo Christus simus » (272), non solum ex opere operato propter Baptismum, sed etiam ex opere operantis propter vitae consuetudinem (christianus, alter Christus), et erit inter nos et Christum Patientem illa veluti « communicatio idiomatum », de qua auctores loquuntur (273).

---

(263) Cfr. TANQUEREY, Op. cit., p. 136 sq.; S. THOM., III, q. 46, a. 3 corp.; LYRAEUS, Op. cit., p. 354 sq.; SCHRIJVERS, Op. cit., p. 72 sq.; PINTO, Op. cit., I, p. 242 sq.; MARMION, *Christ Vie de l'âme*, I, II; B. BELLARMINUS, *De Septem Verbis*, epist. dedicat.; JORET, *Par J. C. N. S.*, p. 157 sq.; CROZIER, *Excelsior*, p. 22 sq.; *De Imit. Ch.*, I, 25, 6. — (264) *Imit.*, II, 12. — (265) B. BELLARMINUS, loco cit.; S. PAULUS A CRUCE, *Lettere*, I, 615. — (266) *Ephes.*, V, 2. — (267) Cfr. ROÜET DE JOURNEL, *Enchiridion ascet.*, index alph., voc. *Christus*. — (268) Cfr. HOORNEART, *L'âme ardente de St. Jean de la Croix*, p. 116; BARUZI, *St. Jean de la Croix et le problème dell'expérience mystique*, p. 564. — (269) *Serm. V in festo Omnium SS.*, Serm. III de Quadr. · Sermo de sex tribul. — (270) *Gal.*, III, 27; *Rom.*, XIII, 14. — (271) PLUS, *In Cristo Gesù*, p. 10. — (272) S. AUG., *In Psalm. XXVI Enarr.* II, 2. — (273) Cfr. PRAT, *Théol. de S. Paul*, II, p. 22-23.

36. Christi Patientis meditatio.

Ad quartum vero medium pertinet orationem nostram mentalem praecipue super Passione Domini instituere, ut docent fere omnes rerum spiritualium scriptores: Qui « separantur a Passione separantur ab oratione » (274); « devotio Passionis Christi est optimum cum Deo unionis subsidium » (275). Passio Jesu Christi, juxta quamdam S. Anselmi sententiam, est panis instar, qui cum omni dape sumitur — quotidianus nempe panis et victus et viaticum (276). « Passio Christi fundamentum est et gradus necessarius ad altissimae Divinitatis contemplationem » (277). « Numquam inveni animam sanctam contemplativam (cum plurium hujusmodi consuetudinem habuerim) cujus modus orandi et contemplandi ordinarius non sit cogitando vitam, Passionem, virtutes, mysteria, et exempla Hominis-Dei » (278). « Meditatione Passionis omnes incipere, prosequi et perficere debent, donec Deus illos ad res supernaturales (passive) assumat. Omnes, inquam, quamvis multae sint animae quae in aliis meditationibus magis proficiunt, numquam tamen meditationem Passionis relinquentes, a qua omne bonum nobis prodivit ac semper prodibit » (279). Quamvis in « spiritualitate Ignatiana » consideratio Passionis viae illuminativae assignetur (280), ipsa tamen est tribus viis utillima (281), et speciatim viae unitivae, cujus causa et finis primarius amor est: « Sic Deus dilexit mundum (282). Ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis (283) ». Qua de causa, sicut S. Thomas docet amorem primum esse motivum Passionis (284), ita tenet Passionem esse motivum efficacissimum ad amorem nostrum excitandum (285). Unde S. Franciscus Salesius sui tractatus super amore Dei finem facit capitulo cui titulus: « Quod Calvaria sit vera amoris academia », ubi docet inanem et periculosum esse

---

(274) S. Isid., *II Cor.*, c. 12, n. 9. — (275) Tauler., *Sermo pro Dom. IX post Trinit.* — (276) *Lib. meditat.*, cap. V. — (277) Blosius, *Institut. spir.*, c. VI. — (278) De la Requera, *Praxis Theol. myst.*, lib. IV, c. VI, XVIII. — (279) S. Teresia, *Vita*, c. XIII; B. Albertus M., *De Adhaerendo Deo*, c. II; S. Paolo della Croce, *Lett.*, I, 256, II, 810, III, 146, etc. — (280) Cfr. De Ponte, *Medit.*, Pars. IV, Introd.; De la Requera, Op. cit., L. II, quaest. II; Garcia, *Exercitatorium*, cc. 47, 53, 57, 59. — (281) Cfr. F. Bernardino di S. Angelo, *Albero della scienza*, p. 54 sq.; Kroust, *Medit.*, Pars III, med. II; Thiepolo, Op. cit., etc. — (282) *Joan.*, III, 16. — (283) *Ephes.*. V, 2. — (284) *Summa*, III, q. 46, a. 3. in corp. — (285) *Summa*, II, II, q. 82, a. III ad 2.

omnem amorem, qui non sit in Passione Salvatoris fundatum (286). Similiter S. Legifer noster docet « animam in Passione sugere lac et mel Divini Amoris (287). Imo ad supremum unionis gradum quem viatores assequi possint, et quem « transformantem » auctores vocant (288), pertinet summa erga Jesum Crucifixum devotio, per internam et quandoque externam ejus similitudinem (289), et animae desiderium ut de se, sicut de Jesu, dicere possit: « amor meus crucifixus est »! (290).

37. Eucharistia et Passio.

Quintum medium consistit in devotione eucharistica, sensu supra explicato, ubi de Theologia dogmatica, idest fundata in Passione. Sicut dici potest quod « in Christo Crucifixo tota religio continetur » (291), ita S. Thomas, de Missa loquens, affirmat, « quod in hoc sacramento totum mysterium nostrae salutis comprehenditur » (292). Altare et Calvaria ut symbola in primo et secundo grado (293) considerantur; prius namque alteram repraesentat; altera vero totam religionem, nostraeque salutis mysterium. Sacrificium altaris essentialiter est sacrificii Crucis iteratio et representatio (294), liturgice vero totius Passionis allegoria, aut, sicut P. Faber dicit: « Missa externe est quaedam species drammatis Passionis, interne vero identicum sacrificium, incruento modo iteratum » (295). Quapropter devotio erga Missae sacrificium fundari debet in devotione erga Passionem (296). Quoad Communionem, jam supra diximus per ipsam nos « Christum Crucifixum manducare », juxta S. Augustini sententiam, quod non solum sacramentaliter, verum etiam, ut ita dicam, intellectualiter facere debemus, simul « passionis et redemptionis attentius recolendo beneficia, quod est spiritualiter mandu-

---

(286) Cfr. Hedley, *A. Retreat*, XV; Thiepolo, Op. cit., p. 108 sq.; Julian of Norwich, *Revelations of Divine Love*. — (287) *Lett.*, III, p. 366. — (288) Tanquerey, *Précis*, 1469 sq.; Naval, Op. cit., 255. — (289) S. Teresia, *Cast. int.*; Mans., VII, c. IV; Pourrat. Op. cit., III, p. 374; Hoppenot, Op. cit., p. 275 sq.; Tanquerey, Op. cit., 1091; Naval, Op. cit., 257; Garrigou-Lagrange, Op. cit., p. 320. — (290) S. Ignat. M., *Ad Rom.* — (291) Schouppe, Op. cit., XLII. — (292) III, q. 83, a. 3, corp. — (293) Cfr. Leblanc d'Ambonne, *Langage symbolique de la Bible*, p. 206. — (294) Cfr. S. Thom., III, q. 79, a. 7; Hedley-Rondière, *La Sainte Eucharistie*, ch. IX. — (295) *Bl. Sacrament*, I. II, sec. II. — (296) Cfr. Hedley, Op. cit., p. 168; Lyraeus, Op. cit., p. 355; S. Franc. de Sales, (Migne) *Œuvres*, III, p. 1295; Card. Bona, *De Sacrif. Missae*, ch. V; Andreis, *The Christian at Mass.*; Bollet., 1926, p. 105 sq.

care Corpus Christi et bibere ejus sanguinem in memoriam ejus » (297). In hoc eodem sensu fuse scribit P. de la Taille, « de communione ad Christum, per contemplationem et per Eucharistiam, una indivisaque apud Patres, atque imprimis Clementem » (298). Atque eodem sensu loquitur Gulielmus a S. Theodorico: « De carne sua (Christus) mirificam animabus nostris alimoniam ministrat, quam tunc avidis faucibus sumimus cum (simul) dulciter recolligimus, et in ventre memoriae recondimus, quaecumque pro nobis fecit vel passus est Christus » (299). Ita Communio etiam ex opere operantis accelerat unionem transformantem (300), qua quis dicere possit: « Christo confixus sum cruci; vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me » (301). Denique, ad Christi Domini vitam sacramentalem quod attinet, et ad ejus inter nos residentiam sub specierum mystico velamine, (quam P. Faber dicit objectum proprium devotionis particularis erga SS.mum Sacramentum (302), idem auctor loquitur « de spiritu SS.mi Sacramenti », eumque partim assimilat spiritui Calvariae, idest spiritui amoris et sacrificii, qui est ascetismi causa atque exemplar mysticae unionis cum Deo; simulque docet Jesum in hoc Sacramento excellentem se praebere normam cujuslibet conditionis seu status, respectu ad vitam spiritualem (303). Quare in eo eminenter continetur exemplar spiritus nostri, in variis suis elementis paupertatis scilicet, solitudinis, orationis, caritatis et apostolatus, sicut exposuimus in sermone ad hujus Recessus Communitatem, feria V in Coena Domini habito (304). Ceteroqui in Sacramento altaris Christus mystice suam Passionem adeo persequitur, ut quidam Episcopus, opus quoddam anonymum approbans (305), loqui non dubitavit « de mysteriis dolorosis Passionis eucharisticae », et P. Faber (306) exempla apparitionum refert, in quibus Jesus in hostia se conspiciendum praebuit vel flagellis caesum, vel spinis coronatum, vel

---

(297) *Epist. ad Fratres de Monte Dei*, c. X, n. 30. — (298) *Myst. Fidei*, p. 230. — (299) Apud De la Taille, loc. cit. — (300) Cfr. Tanquerey, *Précis*, p. 280. — (301) *Gal.*, II, 19-20. — (302) Op. cit., I, II, sect. I. — (303) Loc. cit. — (304) Cfr. Esser-Jackson, *The Anchorite in the Tabernacle*, passim. — (305) *La Passion renouvelée dans l'Eucharistie*, Avignon, Aubanel, 1863. — (306) Loc. cit.

Crucem ad Calvariam bajulantem (307). Haec quae memoravimus satis sunt ut quisque probe intelligat Eucharistiam, ut sacrificium, sacramentum ac praesentiam in tabernaculo, esse spiritus et spiritualitatis Passionistarum medium efficacissimum.

38. Tria alia spiritualitatis subsidia.

Ut sextum subsidium proferimus devotionem erga Virginem dolorosam, de qua etiam affirmari potest quod « tota ejus vita crux fuit et martyrium ». Ipsa Congregationis nostrae habitu prima induta Fundatori apparuit et ei subordinate applicari possunt quae de Jesu Patiente relate ad spiritualitatem diximus sub nn. 32, 33, 35, attenta quoque ratione dogmatica Compassionis B. M. V. sub n. 20 exposita (308). — Septimum medium in hoc consistit, quod in nostra devotione erga Angelos (309) et Sanctos, eos anteponamus qui peculiarem cum Passione relationem prae se ferunt. — Octavum vero ut vitam nostram intellectualem juxta sensum et spiritum Passionis moderemur (310).

39. Passionis Apostolatus.

Nonum denique medium est Crucis apostolatus, idest « studium promovendi devotionem dominicae Passionis » (311), promanans ex plenitudine vitae interioris, « non ut finis sed ut effectus » (312); nam, in auctorum sententia, finis Institutorum vitae mixtae non est apostolatus cui contemplatio veluti subjiciatur, sed e contra, « Religio mixta respicit principaliter contemplationem ut fructificantem ad extra » (313), ita tamen ut vita spiritualis, « sicut alit apostolatum, de apostolatu ali valeat », ut alibi innuimus (314). Sed de hoc, ubi de S. Eloquentia, sermo redibit, ibique fusius indicabitur qua ratione « Crucifixus sit apostolatus principium et apostolorum arma » (315).

---

(307) Cfr. P. Matt. Crawley, *Ora Santa*, par. II, VII: *La Passione di N. S. a Gerusalemme, sull'altare, nelle anime*; Sandigliano, *Calvario e Tabernacolo, la prima e la seconda Passione di Gesù*; Uccello, *Riflessioni eucaristiche sulla Passione di N. S. G. C.* — (308) Cfr. Tanquerey, *Précis de Théol. Ascétique et mystiq.*, n. 155 sq.; *L'Addolorata, Mater Dolorosa nell'ascetica*, Nov. 1929 sq.; Meregalli, Op. cit.; Faber, *The foot of the Cross*; P. Luca, *Il Pianto della Vergine*. — (309) Hoppenot, Op. cit., 233-242. — (310) Cfr. Garrigou-Lagrange, Op. cit., 628. — (311) *Regula*, 82. — (312) Garrigou-Lagrange, Op. cit., p. 625; Tanquerey, *Précis*, n. 1478. — (313) Passerini, *In II. II*, q. 188, a. 6; cfr. Garrigou-Lagrange, Op. cit., p. 624; Salmanticen., *Curs. Theol. · De statu relig. in communi*, Disp. II, dub. III; *Bollettino*, 1927, p. 233 sq. — (314) *Bollettino*, 1927, p. 238. — (315) Hoppenot, Op. cit., p. 259-268.

40. Spiritualitas S. Pauli Apostoli.

Quoniam doctrinam spiritualitatis a Passione exposuimus, non alienum esse videtur, imo necessarium, breviter explicare correspondentem doctrinam utriusque Pauli, Tarsi, scilicet, et Uvadae, ambo a Cruce appellandi, si non nomine, spiritu quidem et affectu. De Pauli Apostoli doctrina hodiernis temporibus fuse tractant auctores, et quia Passio in ea insignem locum obtinet, necesse est ut nostri quae in hoc argumento exponuntur non ignorent. At, potius S. Scripturae quam Theologiae Lectoris munus et officium est, in schola de hoc doctrinae capite tractare, quod ideo ad programma exegeticum, suo loco adumbratum, referre oportebit, etsi hic ponatur, quia ad paraeneticum Passionis studium pertinet. « S. Paulus eminenter pertinet ad familiam Sanctorum qui specialem habuerunt devotionem erga Passionem Salvatoris » (316). Ipse quidem « omnia ad Calvariam refert, et a Calvaria cuncta derivat » (317); « Calvaria est usitatum ipsius meditationis objectum; ibi Salvatorem contemplatur, opus nostrae instaurationis et suis meritis associationis adimplentem; ibi tandem conspicit mysterium nostrae aggregationis ejus corpori mystico, per gratiam, fidem, Baptismum, virtutes, charismata et sacramenta » (318). Ideo renuit gloriari nisi in Cruce D. N. J. C. (*Galat.*, VI, 14) praecipue se profitetur scire Jesum Christum et hunc Crucifixum (*I Cor.*, II, 2). Ex verbis, quibus supra finem perfectionis christianae exposuimus, colligitur imitari seu induere Jesum Christum, in sententia divi Pauli, ad hunc duplicem conatum reduci, in quo est duplex aspectus vitae cristianae: cum Christo cruci affigi et mori, cum Christo resurgere. En totius vitae summa ac suprema Christi imitationis expressio (319). Hoc duplex vitae spiritualis momentum considerari potest sive relate ad justificationem, sive relate ad perfectionem. Sub primo respectu completur per Baptismum ex opere operato: « consepulti in Baptismo, in quo et resurrexistis per fidem » (320). Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis (321). Sub altero autem respectu personali opera et conatu perficitur,

---

(316) Pourrat, *La Spiritualité chrétienne*, I, p. 48. — (317) *The Eccles. Review*, Aug. 1929, p. 122. — (318) Prat, *Etudes*, 1900, p. 220. — (319) Duperray, *Le Christ dans la Vie chrét. selon S. Paul*, p. 138 sq. — (320) *Colos.*, II, 12. — (321) *Gal.*, III, 27.

ex opere operantis: « si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, quae sursum sunt sapite: mortificate ergo membra vestra » (322). « Consepulti cum illo per Baptismum, in mortem, quomodo Christus surrexit a mortuis in novitate vitae ambulemus... Complantati similitudini mortis ejus... quia vetus homo noster simul crucifixus est « (323), « semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris » (324). « Induimini D. N. J. C. et carnis curam ne feceritis » (325). « Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt » (326). « Amor Christi ita Paulo Apostolo dominatur, ut numquam satietur ejus nomen pronunciando. Omnia " in Christo Jesu ,, contemplatur; ac tota religio christiana, ad illum quod attinet, non est nisi vita in Christo Jesu, per ejus dolorum et virtutum similitudinem » (327). Mens ejus et sententia familiaris est, Ecclesiam in terris non gloriae signa gerere, sed stigmata Passionis Jesu, ejus mortem (328) et vulnera manifestando (329), ejus participando cruciatibus (330), ejusque doloribus se conjungendo (331). Etiam « Eucharistia, in Pauli sententia, est communio cum Passione Domini » (332); unio autem hujusmodi crescere adeo debet, ut quis dicere possit: « Christo confixus sum cruci: vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus » (333). Tandem apostolatus etiam est praeclara manifestatio Pauli amoris in Jesum Crucifixum: « nos autem praedicamus Christum Crucifixum » (334). Quae hactenus dicta sunt satis ostendunt quantopere spiritualitas S. Pauli Passionem sapiat, et spiritum Passionistarum exprimat, et quam digna sit ut a Lectoribus nostris et studentibus profundius exploretur. Si auctor quidam neget, « S. Paulum omnem spiritus doctrinam ad cognitionem et imitationem Jesu Crucifixi reducere » (335), id summum admitti potest quatenus devotio Passionis non sit finis, sed medium, maximi quidem momenti, quamvis non exclusivum, perfectionis quae, ut notum est, in unione cum Deo per caritatem consistit (336).

---

(322) *Colos.*, III, I, 5. — (323) *Rom.*, IV, 4-6. — (324) *II Cor.*, IV, 10. — (325) *Rom.*, XIII, 14. — (326) *Gal.*, V, 24. — (327) *Christus*, 1916, p. 1009. — (328) *II Cor.*, IV, 10. — (329) *Gal.*, VI, 17. — (330) *II Cor.*, I, 5. — (331) *Philip.*, III, 10. — (332) DUPERRAY, Op. cit., p. 154. — (333) *Gal.*, II, 19-20. — (334) *I Cor.*, I, 23. — (335) DUPERRAY, Op. cit., p. 272. — (336) Cfr. TANQUEREY, *Précis de théol. ascét. et myst.*, append., p. 4 sq.; DUGUET, *Spiegazione del Mistero della Passione*, par. II, c. VIII, VI; VONIER, *The Christian Mind*, chap. VII, VIII, XVI; PRAT, *Théol. de S. Paul*, I, p. 359 sq., II, 415 sq., 562 sq.

41. Spiritualitas S. Pauli a Cruce.

Sed nunc de S. Paulo a Cruce dicamus qui, magis quam nomine, talis fuit spiritu et affectu. In hoc autem ita copiosam nobisque familiarissimam materiam habemus, ut fere impossibile ac superfluum videatur eam in compendium redigere. Remittentes igitur, qui plura cupiant, ad litteras S. Patris nostri (337) et ad ejus vitam a B. Vincentio M. Strambi descriptam (338), sermonem hoc loco restringimus ad concordantiam exempli et doctrinae S. Patris nostri, cum iis quae supra ubi de spiritualitate Passionis sub nn. 32-39 declaravimus. Ipsam perfectionem quod attinet, amor et mortificatio, quibus respective referendae sunt oratio, paupertas et solitudo, praecipue elucent in ejus vita et in Constitutionibus ab ipso conscriptis (339). Ad media autem quod spectat, 1° inde a primo Regularum capitulo ipse devotionem erga Passionem commendat, et in sequentibus capitibus de ea saepe saepius mentionem facit; 2° Jesum Patientem ut nostrum exemplar proponit: « Jesu Christi virtutes exprimant et ejus vivant spiritu » (340); 3° Passionem assignat ut objectum praecipuum orationis nostrae: « a qua omnis religiosa perfectio et sanctitas potissimum magisterium capit et incrementum » (341); 4° nobis commendat specialissimam devotionem erga SS. Eucharistiam, ceu Missam (342) S. Communionem (343) et Jesum visitandum in tabernaculo (344); 5° specialem devotionem incultat erga Virginem dolorosam (345); 6° denique nobis praescribit apostolatum Passionis (346).

Eum igitur jure meritoque alloqui possumus cum Ecclesia: « didicisti sapientiam in vulneribus Christi, confortaris ad labores in sanguine Christi, gentes ducis ad poenitentiam per Passionem Christi » (347). Sapientia utique altiorem vitam mysticam significat (348); labores vero eumdem spiritum quo alter Paulus ajebat: « adimpleo ea quae desunt Passionum Christi » (349); gentes tandem ad poenitentiam ductae, apostolatus

---

(337) *Indice*, Voc. *Passione*. — (338) Cfr. etiam P. Ioachim, C. P., *Quant à nous*, ch. II, III, VI; P. Patrizio, *Lo Spirito Passionista*, cc. 22, 28. — (339) Cfr. *Reg.*, 3, 10, 34, 43, 44, 89, 121, 124, 125, 164, 190, 238, 290. — (340) *Regula*, 44. — (341) *Reg.*, 170, 221. — (342) ibidem, 163, 164, 197. — (343) *Reg.*, 173. — (344) 172. — (345) 165, 174. — (346) *Reg.*, 3, 4, 80, 127-132, 191, 294, 299. — (347) Anth. II Vesp. festi. — (348) Cfr. Garrigou-Lagrange, Op. cit., 379 sq. — (349) *Col.*, I, 24.

fervorem et zelum (350). En igitur summatim spiritualitas a Passione, secundum principia tum ex natura rei tum ex doctrina S. Pauli Apostoli et S. Pauli a Cruce deducta.

42. Patrologia Passionis.

Nunc ad illam partem programmatis veniendum est, quae respicit Patres Ecclesiae. Studium Patristicae, quam vocant, tempore cursus formalis necessario restringitur ad generaliora principia et notiones quae majus momentum habere videantur, sive sub respectu dogmatico, morali et paraenetico, sive relate ad aliquem finem particularem. Proinde opus erit animum mentemque studentium ad Patrologiam passiologicam, si hoc verbo uti liceat, speciali ratione convertere, ad Patres scilicet qui in hoc doctrinae capite magis excellunt. Ad quem finem consulere juvabit aliquos Patrologiae indices, ut ex. gr. Migne (351), Maximae Bibliotecae veterum Patrum (352). Optimas quoque indicationes subministrant Klietsch (353), Fonck (354), etc. Tandem, ceteris deficientibus libris, non mediocris utilitatis esse potest Promptuarium P. Seraphim (355), « conflatum, ut ipse ait, ex solis textibus sanctorum Patrum quos nos ipsi, ex eorum numquam satis commendandis operibus curavimus excerpere, maxima qua potuimus diligentia » (356).

43. Passio in Liturgia.

Etiam in S. Liturgia Passio Christi maximam partem obtinet, ac imprimis in quotidiana Liturgia Missae, quae non solum Crucis sacrificium essentialiter renovat, sed etiam allegorice tragoediam Passionis repraesentat, sive in suis partibus ordinate dispositis, sive in sacris vestibus sacerdotis, qui veluti Jesum Patientem induitur ad sacrificium altaris celebrandum (357). In Officio quoque sollers majorum pietas Passionem introduxit, et cum eo paene contexuit, eamdem Passionem in septem scenas dividendo, juxta septem officii diei partes, quod referunt mnemonici versus : « Matutina ligat Christum, qui crimina purgat; —

---

(350) Cfr. Tanquerey, *Précis*, n. 1478. — (351) *Patrologia* latina, tom. II, indices de Christo, XIX, de Christi Passione; Tom. IV, ind. poematum de J. C., de cruce; *Patrologia graeca*: ind. methodicum, p. 158, in Passionem Christi. — (352) Tom. I: ind. gener. voc. *Passio*. — (353) *Passio D. N. J. C. ex mente Patrum*. — (354) *Mysteria Passionis Christi*, p. 10. — (355) Pars IV. — (356) Pag. X. — (357) Cfr. auctores supra citatos, ubi sermo fuit de Missa; Benedictus XIV, *De Missae sacrif.*, lib. I, c. x, 3, qui alios plures citat auctores.

Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis; — Sexta cruci affigit, latus ejus Nona bipartit; — Vespera deponit, tumulo Completa reponit. — Haec sunt septenis propter quae psallimus Horis ». Eadem mente Ludulphus de Saxonia Passionem divisit secundum Horas canonicas, in vita D. N. J. C., ex cujus lectione sancti quam plurimi — Franciscus Salesius, S. Francisca de Chantal, S. Teresia, S. M. Magdalena de Pazzi, etc. (358) ad amorem Jesu Christi Patientis stimulum hauserunt (359). Idem fecit Gersonius in suis « Septem Horis de Passione », in quibus illa pietas invenitur, vi cujus illustris Cancellarius bis de Christi Passione, viginti quatuor horas continenter, praedicasse traditur (360). Usus quem supra memoravimus jam commendabat S. Bonaventura in suo « Laudismus SS. Crucis »: « Recordare, frater pie, — Septem vicibus in die, — Passionem Domini; — Hanc si amas et honoras, — Dicas illi certas horas, — Adhibendo studium; — Horam Primam, Matutinam, — Trinam, Sextam, Vespertinam, — Nonam, Completorium ». S. Parocho de Ars quoque multum erat acceptus ille usus, variique auctores modum explicant eidem se conformandi (361). Analogum principium invenitur in orationibus a fratribus nostris, juxta Regulae praescriptum, tempore divini officii recitandis (362).

Quoad Passionem in ordine festorum consideratam, imprimis notare oportet sequens locum cujusdam epistolae S. Patris nostri: « ex prima lectione I Tomi Patris Gregorii a Jesu et Maria, latinos textus sanctorum Patrum cognosces, qui demonstrant sacras solemnitates habuisse originem ex Passione Jesu Christi » (363). Agitur de opere italico, tribus tomis, quod latine versum, in duos tomos, inscribitur: « Divinitas atque Innocentia D. N. J. C. in sua Passione manifestata » (364). Locus, cui S. Pater alludit in sua epistola, sequens est: « Teste Augustino, Passio Christi est omnium festorum causa. Et D. Thomas omnesque fere theologi asserunt ipsam esse festorum omnium formalem causam et meritoriam. Unde

---

(358) Cfr. POURRAT, Op. cit., III, 372. — (359) PLUS, *La folie de la Croix*, p. 80. — (360) PLUS, Op. cit., p. 81. — (361) Cfr. BACUEZ, *L'Office div. au point de vue de la piété*, p. 25 sq. — (362) *Reg.*, 165. — (363) *Lettere*, IV, p. 324. — (364) Genuae, 1698.

non incongrue tam in coelis quam in terris festum ullum puto celebrari quod Christi Domini Passionem non includat et non profluat ab ipsa. Saluberrime idcirco nos admonet Origenes dicens: Deus habet festivitates suas; festivitas Salvatoris nostri est suam sibi repraesentare Passionem. Idcirco, quotiescumque feceritis, scripsit Paulus, mortem Domini annuntiabitis, seu repraesentabitis, glossat D. Anselmus; nam sacrosanctum sacrificium, teste Angelico, est ipsissima repraesentatio Passionis Christi » (365). Quoad particularia festa Passionis et Virginis Perdolentis, consuli possunt varia repertoria festorum (366). Hac in re peculiari attentione digna est S. Liturgia Hebdomadae sanctae (367). Tandem relate ad Passionem in Liturgia maximi sunt momenti variae Crucis benedictiones, quae in Rituali et Pontificali Romano continentur.

44. Passio in historia.

Historiae ecclesiasticae momentum et praestantia satis ex eo apparet quod inter primarias curriculi theologici disciplinas recensetur (368). Sed ut eadem sacra disciplina facilius perdiscatur debet quisque — teste experientia — rerum gestarum progressionem sub aliquo speciali respectu, suae vitae et professioni consentaneo, considerare. Quapropter nobis juvabit Historiae studere respectu habito ad Jesum Patientem: « omnia et in omnibus Christus Crucifixus ». Id autem intelligendum est, uti mox explicabimus, sive de Passionis continuatione sive de ejusdem effectibus historicis.

45. Passionis mystica continuatio.

« Passio enim dominica, ait S. Leo, usque ad finem producitur mundi, et sicut in sanctis suis ipse honoratur, ipse diligitur, et in pauperibus ipse pascitur, ipse vestitur, ita in omnibus qui pro justitia adversa tolerant ipse compatitur » (369). Idem docet Summus Pontifex Pius XI, in Encyclica « Miserentissimus Redemptor »: « Passio Christi renovatur et quodammodo continuatur ed adimpletur in corpore suo mystico quod est Ecclesia... Quod quidem Dominus ipse Jesus declarare dignatus est

---

(365) Op. cit., Lect. I. — (366) Ex. gr.: *The Catholic Encyclopedia*, voc. *Passion offices; Calendarium liturgicum festorum Dei et Dei Matris*, (Holweck, Philadelphia) quod est repertorium festorum locupletissimum; Bened. XIV, *De Festis D. N. J. C. et B. Mariae V.* — (367) Bertocchi, *La Passione di Gesù... nelle cerimonie della Chiesa.* — (368) Can. 1366, 3; Micheletti, *Constitutiones Semin.*, art. 609. — (369) Sermo 7, 5.

ad Paulum spirantem minarum in discipulos: Ego sum Jesus quem tu persequeris » (370). Passio Christi, juxta S. Pauli sententiam (371), adimpletur martyrio, tribulationibus, poenitentiis et ascetismo membrorum ejus corporis mystici (372), idque potissimum est exemplum communicationis idiomatum inter Christum et mystica ejus membra. Haec proinde Passionis Christi continuatio sit nobis historiae Ecclesiae ratio synthetica, ac veluti historiae philosophia, imo theologia.

46. Progressio devotionis erga Passionis.

Praeterea nobis consideranda sunt « gesta Dei per Crucem », seu Passionis multiformi in historia effectus, nostraeque devotionis origo, progressio et manifestationes, quas supra in praesentis programmatis schemate indicavimus, ac de quibus nunc aliquid breviter declarare debemus.

Ad originem devotionis erga Passionem quod attinet, « cogitatio Crucis evidenter fuit habitualis meditatio discipulorum qui Jesum viderant morientem. Sed illud potius luctae quam meditationis tempus fuit, ita ut paganus quidam apud Minucium Felicem (373) dixerit: jam non adorandae cruces sed subeundae » (374). Hinc per plura saecula tota quidem Religio in Passionis devotione posita erat, sensu quo Gretserus dicit: « Religio christiana nihil aliud est quam religio Crucis et Crucifixi » (375). Sed qua devotio particularis, Media, quae dicitur, Aetate, apprime invaluit, maximumque cepit incrementum, ita ut « eximia novitas et incomparabile meritum Mediae Aetatis fuerit flagrans animi studium in patientem humanitatem Jesu Christi, ac veluti passio Passionis Salvatoris » (376). Eidem autem originem partim dederunt piae peregrinationes ad loca Terrae Sanctae, unde praeclarae illae expeditiones derivarunt quae Cruciatae dictae sunt, quaeque potissimum ut manifestationes erga Christi Passionem excellunt (377). Ad ejus quoque

---

(370) *A. A. S.*, 1928, p. 174. — (371) *Col.*, I, 24. — (372) Cfr. Cassianus, *Lib. IV de Institut.*, Cap. 34, 35; Bellarm., *De Septem verbis*, epistola dedicat; B. Baptista Varani, Op. cit.; Anger, *Doctrine du corps mystique*, p. 399-403; Mugnier, *Souffrance et Rédemption*, p. 18; Naval, *Theol. Ascet. et Myst.*, n. 46. — (373) Octavius, n. 12. — (374) Plus, *La Folie de la Croix*, p. 22. — (375) *De Cruce Christi*, T. III, lib. II, c. I. — (376) Plus, Op. cit., p. 21; cfr. Mâle, *L'art religieux du XIII siècle*, 6e éd., p. 223. — (377) Cfr. Michaud, *Storia delle Crociate*; Quaresmius, *Terrae Sanctae Elucidiitatio*, Tom. II; Gretserus, Op. cit., Tom. III.

devotionis incrementum plurimum valuit doctrina et institutum Fratrum Minorum et Praedicatorum, qui, ut quidam historiae scriptor dicit, effecerunt ut « omnis Europa fleret super vulneribus Christi » (378). Recens auctor operam dedit delineandae historiae devotionis erga Passionem, a Media Aetate et deinceps (379). Consuli quoque possunt Pourrat (380), Brémond (381), Tanquerey (382), Saudreau (383), Grabman (384). Quoad devotionem erga Virginem dolorosam, uti possumus peculiaribus auctoribus, inter quos Morini (385), Meregalli (386), Pourrat (387); quoad vero alias devotiones affines, de quibus in parte dogmatica locuti sumus, optime inserviunt volumina ibidem citata.

47. Passio in hagiographia.

Progressus devotionis erga Passionem principaliter conspicitur in vita sanctorum, quorum proinde vestigia in historia perquirere debemus, illorum praesertim qui floruerunt stigmatibus, revelationibus, aliisque similibus titulis relate ad Passionem Domini et Virginis Matris Dolorosae. Quocirca utiliter inspici possunt Thiepolo (388), P. Seraphim (389), Pourrat (390), Hoppenot (391), Quaresmius (392), Imbert-Gourdeyre (393).

48. Instrumenta Passionis.

Historia instrumentorum humanae Redemptionis cognoscere omnium quidem Christianorum, at maxime Sodalium a Passione, plurimum interest. Paucis igitur indicationibus, quae in manualibus historiae ecclesiasticae inveniuntur, opus erit ampliores notitias adjungere, quas quisque haurire poterit ex specialibus libris seu monographis, ex quibus Rohault de Fleury (394), Olli-

---

(378) Mâle, *L'Art religieux à la fin du Moyen Age en France*, p. 383. — (379) Plus, Op. cit. — (380) *La Spirit. chrét.*, vol. II, table analytique, voc. *Passion, Plaies, Chemin de la Croix.* — (381) Op. cit., II, p. 167; VII, p. 325 sq. — (382) *Précis de Th., etc.* p. XXIX sq. — (383) *La piété à travers les âges.* — (384) *Mittelalterliches Geistesleben*; cfr. etiam *Catholic Encyclopedia*, voc. *Passion.* — (385) *Origini del culto dell'Addolorata*; cfr. op. an. *La devozione alla Vergine Addolorata nell'Ordine dei Serviti.* — (386) Op. cit. — (387) Op. cit., II. — (388) Op. cit., tr. XIV. — (389) Op. cit., supplem. — (390) Op. cit., II, ind., voc. *stigmates.* — (391) Op. cit., L. IV, ch. VIII, *Les Saints stigmatisés*, ch. IX, *Les Saints crucifiés.* — (392) *De Quinque Vuln.*, T. V., p. 197. — (393) *Lista storica e litania dei servi di Dio stimmatizzati*; cfr. etiam *Revue Divin Crucifié*, 1913-1914, *Les Saints crucifiés*, passim; *Il Crocifisso, Golgotha, Revue de la Passion*, passim, etc. — (394) *Mémoire sur les instruments de la Passion de N. S. J. C.*

vier (395), Friedlieb-Martin (396), Van Steénkiste (397), Eschbach (398), Noguier de Malijar (399), Thiepolo (400), Anguissola (401), Beyerlinck (402), Nicquet (403).

49. Exercitia in honorem Passionis.

Historia piorum exercitiorum quae ad Passionem relationem dicunt, et de quibus in parte morali mentionem fecimus, summatim refertur in libris, qui de iisdem pietatis causa pertractant. Pro historia vero Viae Crucis addi possunt tractatus P. Ignatii Beaufays (404), Thurston-Boudinhon (405), P. Ubaldi de Alençon (406) et alia opera ibidem allata. Quocirca per transennam notare praestat excogitatam quoque fuisse « Viam Passionis ». subdivisam in « viam captivitatis » et « viam Crucis », quae secunda pars comprehendit consuetas Viae Crucis stationes; alterae vero item quatuordecim stationes numerantur, nempe: I. Sudor Sanguinis; II. Christi apprehensio; III. transitus Cedron; IV. ante Annam; V. ante Caipham; VI. Petri denegatio; VII. Christus in carcere; VIII. ante Pilatum; IX. ante Herodem; X. Barabbae postpositus; XI. flagellatus; XI. spinis coronatus; XIII. Scala Santa; XIV. Ecce Homo (407).

50. Consociationes a Passione.

Associationes, Confraternitates, Instituta ac Ordines, tum a Passione tum a Virgine Dolorosa, numerosiores sunt, quam ut in hoc programmate vel enumerari possint. Praeter nostram archiconfraternitatem, aliae quamplurimae sunt, a SS. Crucifixo, similibusque titulis appellatae (408), uti illa ab Hora Sancta, Paray-le Monial instituta, cujus hoc anno saeculum plenum celebratur. At satis erit ex iis ea cognoscere quae in propria respectiva regione institutae sunt. Quoad Ordines et Congregationes consuli potest Dictionarium historicum Ordinum, etc. (409), Fontana (410), etc.

---

(395) *La Passion*, append. — (396) *Archéologie de la Passion.* — (397) Op. cit., p. 1606-1621. — (398) *Le Saint Suaire de Turin.* — (399) *Le S. Suaire de Turin.* — (400) Op. cit., Trat. XV. — (401) *Gli istrumenti che servirono alla Passione di G. C.* — (402) Op. cit., Index gen., voc. *Christus.* — (403) *Historia et mysterium Tituli S. Crucis*; multique alii apud Rohault de Fleury; cfr. *Il Divin Crocifisso*, 1928, p. 93. — (404) *Dévotion au Chemin de la Croix, exposé historique.* — (405) *Etude historique sur le Chemin de la Croix.* — (406) *Le Chemin de la Croix dans l'histoire*, etc. — (407) Cfr. Period. *O Calvario*, n. XXVII. — (408) Cfr. Hoppenot, Op. cit., p. 330. — (409) voc. *Crux, Passio, Pret. Sanguis.* — (410) *Storia degli ordini e delle congreg.*, T. VIII.

51. Prodigia et Sanctuaria a Passione.

Miracula seu prodigia quae Passioni tribuuntur, auctores veteres referunt, inter quos praesertim Quaresmius (411), Astolfi (412), Calà (413), Gretser (414), Beyerlinck (415), Picus de Mirandola (416). Cum his prodigiis frequenter connectuntur Sanctuaria a Passione, ut exempli gratia illud recentissimum Limpiasense. De his etiam sufficiens erit si nostri originem illorum cognoscant, quae in respectiva regione magis frequentantur, uti sunt Romae: Sanctuarium Scalae Sanctae (417), Basilica S. Crucis in Jerusalem (418), Sanctuarium SS.mi Crucifixi Mamertini (419), Sacellum SS.mi Crucifixi ad S. Marcellum (420); in Italia vero: Sanctuaria Varalli (421), Novocomii (422), Moliani (423), Nemorense (424), Luccense (425), etc. Universali celebritate gaudent sanctuarium SS. Crucifixi Limpiasensis et insignes Viae Crucis stationes Lourdenses, Bétharamenses, et Czenstochowienses, ut de notioribus tantum mentionem faciamus. Nominari quoque meretur Via Crucis quae in nostra Ecclesia Ludovicopolitana erecta fuit, cujus quatuordecim stationes totidem altaribus cum figuris ectypis naturalis mensurae constant.

52. Passio in missionibus.

Nostris diebus plurimum agitur de missionibus, seu de sacris expeditionibus, sive ad fideles, sive ad infideles. De prioribus fuse tractant Constitutiones nostrae, et plura habentur in S. Fundatoris nostri vita et epistolis. De eisdem quoque dedita opera agitur in schola S. Eloquentiae. Hic indicare sufficiat historice tractandum esse de origine et usu crucis missionis, de qua plura habet Hoppenot (426). Quoad missiones ad infideles, omnes norunt quantum summus Pontifex Pius PP. XI, quem Deus diu sospi-

---

(411) *De quinque Vuln.*, T. V, lib. III, T. I, p. 61; *Elucid. Terrae S.*, II, p. 17-26. — (412) *Miracoli della S. Croce*, Venetia 1609. — (413) *Mem. storiche dell'apparizione della Cr.*, Napoli, 1661. — (414) *De Cr. Christi*, T. III. — (415) *Magnum theatr. vitae humanae*, voc. *Crux*. — (416) *Staurosticho*. — (417) Cfr. P. Stanislao dell'Addol., *Sancta Sanctorum e la Scala. S.* — (418) Piazza, *Eorterologio, Stazione a S. Croce in Gerusalemme*. — (419) Piatti, *Il Carcere Mamertino e il Santuario del SS. Crocifisso*. — (420) Piazza, Op. cit., *Stazione a S. Marcello*. — (421) *Lectiones S. Caroli Borr.*, Brev. Rom., 3 Nov.; Galloni, *Sacro Monte di Varallo*. — (422) Grandi, *Il SS. Crocifisso di Como*. — (423) Cornezzani-Quadrini, *SS.mo Crocif. di Mogliano*. — (424) Giuliano, *Il Santuario del SS.mo Crocifisso di Nemi*. — (425) Guerra, *Storia del Volto S. di Lucca* — (426) Op. cit., p. 51 et p. 359 sq.

tet, eas commendet, et quanti eas fecerit S. Legifer noster. Reapse opus missionum praecipue in « Crucis et Crucifixi praedicatione » consistit, et jam tempore S. Justini Martyris ab invocatione Jesu Crucifixi mensurabatur fidei propagatae extensio (427). Hoc optime indicat symbolum quo veluti stemmate utitur S. Congregatio de Fide Propaganda, nempe crux radiis circumfusa in summitate orbis terrarum, « ut sicut unum est pro omni victima sacrificium (crucis et altaris) ita unum de omni gente sit regnum » (428). De crucis triumphis in missionibus plura habent historiae scriptores et Hoppenot (429). Ecquid sileremus de missionariis nostris? Salvete, Passionis nuntii, gloria et honorificentia Congregationis nostrae, qui verbum Crucis arduo labore seritis aut generoso jam sanguine irrigastis. Salvete, fratres carissimi et desideratissimi, gaudium et corona nostra! Sic state in Domino carissimi! (430).

53. Legendae a Passione.

Circa Passionem etiam nonnullae circumferuntur apocryphae historiae seu legendae, quas noscere juvabit, sive « ut poesim historiae » (431), sive ut « expressiones vitae interioris et spiritualis tendentiae » (432), sive ut artis stimulum et argumentum. Sub hoc ultimo respectu praecipue notantur Legenda Crucis, a Jacopo de Varagine memorata in sua « Legenda aurea » (433), quae inspiravit ex. gr. picturas Petri della Francesca, Arretii (434) atque Angeli Gaddi, Florentiae (435); item legenda cui nomen vulgo a « Sangraal » (=Sangreal=Sanguis realis) idest de calice quo Christum in ultima Coena, et Joseph ab Arimathea ad sanguinem de Latere Christi collegendum usos fuisse ferunt; ex qua ficta historia multi poetae et scriptores inspirationem hauserunt, praesertim in Gallia, Anglia, et Germania,

---

(427) *Dial. cum Tryphone*; cfr. GRAMMATICA, *Geografia Ecclesiastica*, Introd., p. 11. — (428) S. LEO M., *Sermo 8 de Passione*; cfr. *Teologia Missionaria - Atti della VII settimana di studii miss.*, p. 214. — (429) Op. cit., p. 100-126. — (430) *Phil.*, IV, 1. — (431) ZECCHINI, *Verso l'altare del mondo*, p. 53. — (432) LEVASTI, *Introd. alla « Legenda Aurea »*, p. VIII. — (433) C. 64. (434) FALCIANI, *Arezzo e i suoi monumenti*. — (435) BERTARELLI, *Italia centrale*, II, p. 107; *Il Div. Crocif.*, 1928, p. 124.

inter quos memoria dignum putamus Wagner, ob famosum drama « Parsifal », musicis numeris expressum (436).

54. Passio in artibus figurativis.

Ex legendis qua artium fontibus ad artes ipsas gradum facimus. Relate ad artes, tam late Passionis applicatio patet, ut dici potuit artis religiosae substantia et anima (437) et efformare posset disciplinam particularem, aut saltem praecipuum locum obtinere in cursu archeologiae et artis sacrae, quae docentur in majoribus seminariis (438). Cum autem apud nos id fieri non soleat, et ceteroquin materia sit satis historiae affinis (439), conveniens erit ut de ea aliquid exponat Lector historiae ecclesiasticae, prout proponitur in nonnullis vulgatis historiae manualibus. Attentis finibus latreutico, hermeneutico et liturgico artis sacrae (440), Lector curabit ut studentes apte discant tum progressum repraesentationum SS.mi Crucifixi, a figuris symbolicis in catacumbis, usque ad hujus temporis imagines, tum picturae, sculpturae, artis musivae et vetrariae opera perfectiora, quae relationem habent ad Passionem, et praesertim ad Viam Crucis et Pietatis imaginem. Ita quidem per historiam evolvetur semita illustris, egregiis nominibus signata illorum qui de arte optime meruerunt, uti B. Angelicus, Aubert, Barberi, Blake, Bourriche, Canova, Ciseri, Cisterna, Delaroche, Dietrich, Donatelli, Dupré, Dürer, Fugel, Giotto, Goya, Holbein, Lazerges, Le Brun, Maccari, Mantegna, Mastroianni, Memling, Michelangelus, Morgari, Munkacsy, Murillo, Overbeck, Perugino, Pogliaghi, Poussin, Raphaël, Raffl, Rembrandt, Reni, Ribera, Rubens, Rude, Scheffer, Schoen, Steinle, Tiepolo, Tissot, Tiziano, Van Dyke, Velasquez, Venusti, Von Oer, Wante, Zick, Zurbaran, etc. quorum opera plura recensentur apud Mi-

---

(436) Cfr. DUNLOP, *History of Fiction*, L'Encyclopédie Larousse; *The Catholic Encyclopedia*, voc. *Grail*; *Enciclopedia Espasa*, voc. *Grial*; *Kirchenlexicon*, voc. *Gral*; TENNYSON, *The Holy Grail*; GOZZANO, *I Cavaliere del Graal*; BRÉHIER, *L'art chrétien*, p. 232; MÂLE, *L'art religieux du XIIIe siècle*, 6e édit., p. 223. Alias legendas minoris momenti praetermittimus: de illis possunt consuli LONGFELLOW, *The Crossbill*; *Il Div. Crocif.*, 1928, p. 179, *Il Pettirosso*; ALLEVATO, *Leggende Nazarene*, p. 30, 39 etc. — (437) MÂLE, Op. cit., p. 222. — (438) Cfr. *Ordinamento dei Seminari, della S. Congr. dei Sem. e delle Università degli studi*, 1920, p. 28. — (439) Cfr. MICHELETTI, *Constitutiones seminariorum*, art. 635. — (440) COSTANTINI, *Nozioni d'arte sacra per il Clero.*

chel (441), Dayot (442), Argenville (443) et in majoribus Encyclopediis sub respectivis nominibus, quae ideo alphabetico potius quam chronologico aut aestimatorio ordine retulimus.

55. Imagines allegoricae.

Locum quidem subordinatum, at a nobis minime negligendum, tenent in arte figurativa imagines allegoricae, quae religiosam et asceticam doctrinam de Cruce et Crucifixo apte exprimunt. Mentione digna est illa a Divo Bonaventura efficta, « Arbor vitae Christi », in opusculo cui titulus « Lignum vitae », varii quoque crucifixi allegorici exprimentes lyram, torcular mysticum, fontem sacramentorum, etc. (444), item plures quae continentur in opere « Via vitae aeternae, iconibus illustrata », Antuerpiae 1620, auctore Sucquet, et in opusculo cui titulus « Sacellum Cordis », auctore Le Gall (445). Nostris diebus ingeniositate commendantur « illustrationes » in opere inscripto « Anima in schola divini Magistri » (446), ac etiam imagines quae parallelismum exprimunt inter Missam et Passionem, in libris qui ad populi pietatem fovendam destinantur (447).

56. Passio in architectura.

Passionis laudem etiam architectura concinit, sive plurimarum ecclesiarum structura cruciformi, « ad notandum nos Crucifixum sequi debere » (448), sive axis inclinatione in mediis Basilicis, ad symbolice exprimendum illud evangelii: « Et inclinato capite tradidit spiritum » (449). Quoad sculpturas et figuras Passionem significantes, in porticibus, capitellis, ornamentis, fenestris, vide apud Bréhier (450), Mâle (451), etc.

---

(441) *Histoire de l'Art.* — (442) *Histoire générale de la peinture.* — (443) *Vies des fameux sculpteurs, avec la description de leurs ouvrages*; cfr. Hoppenot, *Le crucifix dans l'art*; Costantini, *Il Crocifisso nell'arte*; Sandberg, *La Croce depinta Italiana e l'iconografia della Passione*; Rossi, *L'arte Italiana*; *Civiltà Cattolica*, 1921, III, p. 228 sq.; Bréhier, *L'art chrétien*; *Les épisodes de la Passion dans la sculpture Romane d'Auvergne*; et varias encyclopedias supra memoratas; item varios articulos in nostris periodicis: *Il Crocifisso*; *Il div. Croc.*; *El Pasionario*; *The Sign*; *Golgotha*; *La Revue de la Passion*; *The Cross*; *Kruis en Liefde*. — (444) Cfr. Pinto, Op. cit., I, p. 22; Hoppenot, Op. cit., p. 198. — (445) *L'oratoire du Cœur*, Paris 1682; cfr. Brémond, Op. cit., VII, p. 321-373. — (446) *L'anima alla scuola del divin Maestro*, Venezia, 1927. — (447) Cfr. *La Messa illustrata*, ed. Calzone. — (448) Durandus Mimatensis, *Rationale*, Lib. I, c. I; Pinto, Op. cit., p. 213. — (449) Viollet-le Duc, *Dictionnaire d'architecture*, voc. *axe*; Hoppenot, Op. cit., p. 92; Huysmans, *La Cathédrale*, p. 94, 125, passim; *Kirchenlexicon* voc. *Kreuz*. — (450) *L'art. chrét.*, p. 232, 253, 412, pass. — (451) Op. cit.

57. Passio apud poetas.

Passio Christi praeterea extitit fons praecipuus inspirationis poeticae, quod abunde demonstrant antiquorum opera, ex quibus nominare juverit dramma, D. Gregorio Nazianzeno tributum, inscriptum « Christus Patiens », hymnos Aurelii Prudentii, Lactantii, Fortunati, Claudii Mamerti, et ingeniosissimas poeses Rabani Mauri (452); item rhythmicos cantus Mediae Aetatis, a S. Bernardo, Bonaventura, Lanspergio, Thoma a Kempis compositos (453). Adsunt etiam recentiores elegantes compositiones poeticae, in variis linguis adornatae, inter quas facere non possumus quin particularem mentionem agamus de venustissimis poematiis cruciformibus Botrel, Bayle, etc. (454).

58. Passio ut drama sacrum.

Ars quoque scenica in Passione Domini subjectum sibi adaptissimum et non mediocris momenti nacta fuit. Hodiernus quidam exegeta (455) Passionem in quatuor dividit actus, in undecim scenas iterum subdivisos. Haec divina tragoedia media aetate repraesentari coepit et divulgari, etiam Romae, ubi repraesentabatur in Amphitheatro Flavio (456). Recentiori quoque tempore, iisdemque nostris diebus, populus eadem permagno delectatur, ut contingit praesertim Oberammergau, ubi decimo quoque anno repraesentatur (457). Sub respectu historico de ea tractant Cantù (458), Ollivier (459), Schroeder (460), P. Stanislaus a Virg. Perd. (461).

59. Passionis symbola.

Aliquid etiam de Passionis symbolis heic dicendum occurrit, quae sive ex imitatione sive ex conventione originem sortiuntur. Symbolorum usus hujusmodi repetendus est sive ex disciplina arcani temporibus persecutionis, sive ex naturali gustu quem symbola

---

(452) *De Laudibus S. Crucis.* — (453) Vide opera horum auctorum. — (454) Cfr. Hoppenot, Op. cit., p. 221; Gretser, Op. cit., III, lib. IV; *Hymnodia SS. Patrum*, Venetiis 1646; Monti, *Antologia Nazarena*; Toschi, *Antico dramma sacro italiano*; De Bussy, *La Passion*, appendices; Brémond, Op. cit., I, p. 347; Chevalier, *Repertorium hymnologicum*; Grecori, *Le Glorie della Croce*, p. 385. — (455) Van Steenkiste, *In Matthaeum*, p. 859. — (456) Cfr. Adinolfi, *Roma nell'Età di mezzo*, I, p. 379 sq. — (457) Cfr. *Rev. de la Passion*, 1930, p. 15. — (458) *Storia universale*, epoca VI, c. x. — (459) *La Passione*, append. K. — (460) *Oberammergau.* — (461) *Guida al dramma sacro dello stadio di Torino.* Consuli possunt etiam *Encyclopediae Espasa*, voc. *Pasion - dramas; Catholic, Passion-plays*; Herders *Konversationslexicon, Passionspiele*, et sub eodem voc. *Meyers Konversationslexicon; item, Le div. Crucifié*, 1914, p. 53 et 72.

afferunt, testante Augustino: « Quae figurate nobis insinuantur plus delectant, plus honorantur, plus movent, et accendunt amorem quam si nuda, sine sacramentorum similitudinibus proponerentur » (462). Ob primam causam Passio Christi symbolice in Catacumbis repraesentabatur (463); ob alteram vero quam plurima Crucis symbola excogitata sunt, sive ex arte, ut jugum, statera, arbor navis, etc., sive ex natura, ut constellationes, aves, plantae, in quibus notior est Passiflora (464). Quoad flores, Dowling loquitur de Flora Passionis, quae de Getsemani ad Calvariam gradus omnes Passionis designat (465).

60. Symbola nummaria et scutaria.

Quoad Passionis symbolicam expressionem in numismatibus, nobis ignorare non licet de ea disseruisse antiquos auctores, ut Gretser (466), Justum Lipsium (467). De Cruce et Passione in scutariis tesseris et insigniis fuse agunt, sub devotionali respectu, Quaresmius (468), et Lyraeus (469). Symbolis Passionis, cruci nempe, clavibus, columnae, coronae spineae, vulneribus, quae in arte stemmatum occurrunt, et de quibus praefati auctores loquuntur, adjungi possunt effata seu sententiae, ex. gr. « per Crucem ad lucem », « per viam Crucis gaudens » (470), etc.

61. Onomatologia et gnomonica.

Onomatologia Passionis, seu usus ex Passione agnomem desumendi, atque ex eadem similiter appellandi « insulas, civitates, oppida, pagos, arces, munitiones, plateas, portus maris portasque urbium, herbas, radices, monetas, sidera, montes, alpes, familias » (471) etc., etiam est derivatio Passionis in historia, quam opportunum erit studiosis Passionis indicare. Idem dicendum est de horologio Passionis, quo significamus non solum praxim, in pluribus libris sub eodem nomine expositam, honorandi et meditandi varia Passionis momenta, per singulas horas in quibus effecta sunt, sed etiam quaedam solaria horologia, in qui-

---

(462) Epist. LV, cap. XI. — (463) Cfr. Cantù, *Archeologia e Belle Arti*, cap. X, 2 sq.; Hoppenot, Op. cit., p. 129; Costantini, Op. cit., p. 58, etc. — (464) Boiteux, *Les symboles de la Croix*; Justus Lipsius, Op. cit., Lib. I, c. IX; Bosius, *Crux triumphans et gloriosa*, Lib. II et V; Quaresmius, *De Quinque Vulneribus*, T. I, lib. II. — (465) *Essay upon the flora sacra*, in « The Flora of the sacred Nativity », London, 1900. — (466) Op. cit., T. III, lib. I. — (467) *De Cruce*, lib. III, c. XV. — (468) *Terrae Sanctae elucidatio*, T. I; cfr. Ind. voc. *crux et stemmata*. — (469) *De imitatione Jesu Patientis*, p. 361 sq. — (470) Cfr. *Golgotha*, 1930, p. 3. — (471) Lyraeus, *De Imit. Jesu Patientis*, p. 371.

bus crucis brachia singula successive funguntur officio styli et plani, dum sol movetur ab ortu ad occasum. Horum inventor fuit Clavius, S. J. (472); expositionem vero tecnicam et spiritualem tradit Lyraeus (473), probe demonstrans quod « invenit ingeniosissimus amor Crucifixi horologium hoc, quo uti solet staurophilus ut quod assidue respiciat et imitetur ad manum habere possit » (474).

62. Bibliographia Passionis.

Hanc programmatis partem concludimus aliquid de bibliographia Passionis breviter attingendo. Non raro evenit ut ecclesiastici viri, etiam in dignitate constituti, ut ex. gr. olim heic Romae Eminentissimus Card. Mercier, piae recordationis, nos consulant nostramque exquirant sententiam ad libros super Passione Domini consultius eligendos. Ecquis enim melius quam Passionistae idipsum praestaret? Oportet igitur quivis Congregationis Lector, pro sua respectiva materia, de bibliographia Passionis breviter tractet. Lectoris autem Historiae ecclesiasticae erit ejusdem bibliographiae brevem syntesim, de operibus tum latino tum patrio sermone conscriptis, exponere, juxta hunc, ex. gr. ordinem: historica, exegetica, ascetica, oratoria, mixta, periodica.

63. Historiae compendium allegoricum.

Ut tandem Magistri Historiae munus breviter complectamur, sicut pictor Aubert « Virginis Comitatum » pinxit, videlicet, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, et Virgines, qui Reginae thronum longo ordine adeunt (475), ita Historiae ecclesiasticae Lector debet Crucifixi comitatum effingere, mirificum nempe sanctorum, missionariorum, artificum scriptorumque continuatum agmen, quod ex Calvaria per saecula procedens, Christi Passionem continuat, complet, imitatur, praedicat et glorificat. Quod etiam compressius ex nostra commissione expressit egregius artifex Conti, figuras symbolicas depingens Exegesis, Theologiae, Mysticae, Historiae, Artis et Eloquentiae, quae una simul Crucis Liturgiae assistunt.

---

(472) Lib. IV *Gnomonicae*, c. 2. — (473) Op. cit., p. 343 sq. — (474) Op. cit., — (475) Calvet, *Le Cortège de la Vierge*.

64. Passio in Musica sacra.

Jam egimus de Passione quoad artes, consulto omittentes musicam, ut de hac separatim aliquid dicamus. Norunt omnes quantopere Summi Pontifices, signanterque Pius X fel. rec. et Pius PP. XI gloriose regnans, Musicam sacram addiscendam commendaverint, imo jusserint. Quocirca sufficiat meminisse Litteras S. C. de Religiosis, diei 18 Februarii 1927 (476), et Constitutionem Apostolicam « Divini cultus sanctitatem », diei 20 Decembris 1928 (477). Qua Constitutione utriusque Cleri alumnis praecipitur brevis quidem sed frequens et paene cotidiana cantus gregoriani et Musicae sacrae lectio vel exercitatio, incipiendo ab ipsis primordiorum scholis ac deinde in gymnasio et lycaeo continuando, ita ut in theologicorum studiorum curriculo altiora illa disciplina institui possint quam verissime aestheticam dixeris monodiae gregorianae ac musicae artis polyphonicae atque organi, quam Clerum pernoscere omnino decet. Porro aptissimum illius aestheticae tum explicandae tum applicandae argumentum praebent meliora musicorum de Passione Christi opera, sive gregoriana sive polyphonica, non exclusis nonnullis missis, ut notat Sertillanges de Beethoveniana « Missa in D. » (478). Rem quidem vastissimam attingimus, cujus tamen exiguam tantum bibliographiam invenimus. Quaedam Encyclopediae de hoc dedita opera tractant (479) et brevis monographia auctore Stanghetti (480), cum auctoribus ibidem citatis. Attamen etiam quoad musicam Passionis, praeter cantus liturgicos, historia recenset opera insignium virorum, ex quibus referre juvabit: S. Alphonsum, Aresti, Bach, Beethoven, Caldara, Capocci, Dubois, Gounod, Habets, Haller, Handel, Hartmann, Haydn, Jomelli, Listz, Mattei, Mendelsohn, Mozart, Paisiello, Palestrina, Perosi, Perti, Planchet, Rossini, Rubinstein, Schubert, Schutz, Teleman, Verdi, etc., quorum opera recensentur sub respectivis nominibus in Encyclopediis et apud Choron et Fayolle (481), Lacal (482), Marcillac (483), Bedeschi (484), etc.

---

(476) *Bollettino*, 1928, p. 258. — (477) *Bollettino*, 1929, p. 97. — (478) *L'Eglise*, L. III, II, II. — (479) ESPASA, voc. *Passion*: The Catholic, voc. *Passion-music*; MEYERS *Konversationslexicon*, voc. *Passionsmusik*. — (480) *La Passione di N. S. G. C. nella Musica*. — (481) *Dictionnaire historique des musiciens*. — (482) *Diccionario de la musica tecnico, historico, biografico*. — (483) *Histoire de la musique et des musiciens, depuis l'ère chrétienne jusqu'à nos jours, en Italie, en Allemagne, en France*. — (484) *Prontuario biografico dei più illustri musici sti, Italiani e stranieri*.

65. Passio et Eloquentia Sacra.

Tandem de munere Lectoris S. Eloquentiae dicendum, cujus est novensiles sacerdotes nostros docere modum in praedicatione adhibendi ea, quae in ceteris sacrarum disciplinarum studiis circa Passionem didicerint, ut scientia sit reapse efficientia, juxta Baconis effatum (485), et quisque ex missionariis nostris « seipsum exhibeat operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis » (486). Catechismus Romanus vel clero saeculari Passionis praedicationem enixe commendat, dicens: « quam diligenter parochus curare debeat ut fideles Dominicae Passionis memoriam saepe repetant docet Apostolus, qui nihil aliud se scire testatus est nisi Jesum Christum et hunc Crucifixum. Quare in hoc argumento omne studium et opera adhibenda est, ut quam maxime illustretur, fidelesque tanti beneficii commemoratione excitati, totos se ad Dei erga nos amorem et bonitatem inspiciendam convertant. Hoc enim articulo veluti fundamento quodam Christiana religio et fides innititur, eoque posito, reliqua omnia recte constituta sunt » (487). Quanto magis hoc nostrum erit, qui votum promovendi devotionem erga Passionem emittimus, et « quibus data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes quae si dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, quod est Christus quem nos annuntiamus » (488). Ad Lectorem S. Eloquentiae pertinet sacerdotibus nostris hoc doctrinae caput proponere, illis explicando quae fecit et docuit S. Legifer noster (489), ac magis etiam S. Paulus Apostolus (490), simulque demonstrando, juxta ea quae de unaquaque materia diximus, « principia omnia sacrae praedicationis, omnesque veritates quae doctrinae sacrae depositum constituunt, ex Christo Crucifixo promanare » (491). Fontes etiam indicabit ex quibus argumenta ad praedicandam Christi Passionem desumi possunt, nempe Patres, prout supra indicavimus, sub n. 42, Mansi (492), Mansi-Jourdain (493), Houdry (494), Combefis (495), S. Bernardi-

(485) *Meditationes Sacrae.* — (486) *II Tim.*, II, 15; cfr. *Lettere di S. Paolo della Croce*, IV, p. 361. — (487) *Cath. rom.*, P. I, c. V. — (488) *Ephes.*, III, 8, 9; *Col.*, I, 27, 28. — (489) Cfr. *Lett.*, Ind. alfab., voc. *Passione.* — (490) *Col.*, II, 3, 15 - III, 10, 11; *Heb.*, XII, 23; *Gal.*, VI, 14; *I Cor.*, II, 2, 5, 30. — (491) Baragnon, *Le Crucifix, Retraite Sacerd.*, Préface. — (492) *Bibliotheca praedicabilis*, T. III, Tract. LIX-LXVII. — (493) *Aerarium Divini Amoris.* — (494) *Bibliotheca concionatoria*, Tom. I - Mysteria Domini. — (495) *Bibliot. Patrum concionat.*, Tom. III.

num Senensem (496), Schouppe (497), Van Steenkiste (498), Aliberch (499), Pinto (500), aliosque idoneos auctores respectivi idiomatis. Debet praeterea alumnos docere modum praedicandi Passionem Domini juxta methodum nostrae Congregationis proprium, eorumque animos excitare ad munus nobis in Ecclesia Dei demandatum sancte obeundum, ut digni sint « praecones sacramenti pietatis, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria » (501). Curabit denique ut cognitum comprehensumque habeant efficaciam apostolatus nostri ex fervore vitae interioris omnino pendere: « plus ardet, plus splendet », juxta effatum hodierni cujusdam Instituti (502).

66. Programmatis epitome.

Habetis igitur quae de Passionis studio intellectuali proponere ac declarare volebamus, sequenti schemate compendiata:

Prolusio	Anno Novitiatus:	Diatesseron Passionis	(5)
Studium syntheticum	in curriculo philosophico:	Historia Passionis D. N. Jesu Christi et Compassionis B. M. V.	(6)
Studium analyticum (7-10)	in curriculo theologico:	Passionis Exegesis	(11)
		Passio in Theologia dogmatica	(12-25)
		Passio in Theologia morali	(26-30)
		Passio in Theologia spirituali	(31-41)
		Passio in Patrologia	(42)
		Passio in Liturgia	(43)
		Passio in Historia	(44-63)
		Passio in Musica sacra	(64)
	anno S. Eloquentiae:	— Passio in Oratoria	(65)

(496) *Opera omnia*, T. I, p. 236 sq.; Tom. II, p. 246 sq. — (497) *Adiutamenta Orat. Sacri*, XLII. — (498) Op. cit., p. 1693. — (499) *Breviarium praedicabile* - Biblioth. concionat. ex Breviario Rom., Index, voc. *Christus*. — (500) *Christus Crucifixus...* in usum concionatorum. — (501) *I Tim.*, III, 16; cfr. P. Stanislao dell'Addol., *Il Missionario Passionista*, c. XVI; P. Cajetanus, *Practische handleiding*, 251; P. Ignazio del Cost. di Gesù, *Istituzioni di Eloquenza*, Part. II, art. 3 et 4; P. Séraphin, *Préceptes d'Eloquence*, Append. 12-38; P. Mauricio, *Tratado de Elocuencia Sagrada*, p. 341-365; P. Alessio, *Precetti d'Eloquenza*, p. 67; P. Patrizio, *Spirito Passionista*, cap. 28; *Proceedings of the first Passionist Missionary Congress*, p. 70. — (502) Cfr. *Bollettino*, 1927, p. 238; Garrigou-Lagrange, Op. cit., p. 624 sq.

67. Media ad studium promovendum.

Quamvis hujus studii programma primis tantum lineis adumbravimus, omnibus sane in compertum est quam late pateat, et quam necessarium foret idoneum manuale ad illud in scholis nostris evolvendum. Interim vero singulis Lectoribus cordi esto munus suum quoquo meliori modo adimplere, iis adhibitis libris quos supra citavimus, aliisve quos ad manus habuerint. Praesentem insuper nacti opportunitatem, et ad effectum deducentes quod anterior Curia Generalis decrevit (503), lectores nostros hortamur, dependentia ab immediatis Superioribus servata, ad suas de Passione lectiones scripto exarandas, secundum programma supra expositum; quae quidem lectiones, vel edi poterunt in aliqua ex nostris ephemeridibus, vel publici juris fieri impensis Congregationis, si ad bonum totius Sodalitatis id utile visum fuerit. Sic gradatim collectio constituetur ex diversis monographiis, quae haberi poterunt ut partes seu capita « Summae Passionis », enchiridion futurae scholae Passiologiae, Deo favente in Monte Argentario aut Bethaniae quandoque constituendae, ut in ea delecti sacerdotes praeparentur ad magisterium Passionis, cujus vivificae scientiae nos omnes lauream consequi oporteret! Interea enixe commendamus, ut, juxta decretum XV postremi Capituli Generalis, « in quavis Congregationis domo bibliotheca constituatur, ex libris tum a sodalibus nostris editis, tum de Christi Passione tractantibus ». Cordi inprimis esto nostris lectoribus et ephemeridum scriptoribus quemlibet de Passione Dominica librum cognitum ac perspectum habere.

68. Passionis studio inflammemur.

Quid plura? Passio Christi « passio » nostra esse debet, ut verbo utar cujusdam pii auctoris, supra memorati (504), nempe studium, devotio, amor, qui cogitationes nostras inspiret, actiones informet, vitaeque rationem ac ideam directricem constituat, ut vere affirmare possimus: « Passio Christi urget nos! » Et haec est tertia vocabuli « studii » vis et significatio, prout in principio hujus nostrae epistolae notavimus. Ut hujus rei momentum et vis probe intelligatur, facere non possumus quin referamus quod quidam antiquus auctor, ex Ordine S. Francisci, in commendationem hujus studii scribit, declarans haec verba

---

(503) Die 1 Martii 1921. — (504) Plus, *La folie de la Croix*, p. 21.

Ezechielis: « ecce liber scriptus intus et foris, et scriptae erant in eo lamentationes, carmina et vae, et cibavit me volumine illo, et dixit ad me: vadens loquere filiis Israel » (505). Volumen illud considerans veluti allegoriam Christi Crucifixi, quem reapse Sancti uti suum librum habuerunt (506), et martyr S. Ignatius suam bibliothecam vocat (507), praedictus auctor confratres suos hortatur ut illo vescantur, « ut sint testes et speciales contemplatores et imitatores, ac verbo et exemplo praedicatores, annuntiatores ac repraesentatores Sanctae Passionis Christi et piissimae Matris ejus », et hoc 1° propter singularem devotionem proprii fundatoris erga Passionem Christi; 2° ob missionem specialem suo Ordini propriam, eamdem devotionem in Ecclesia promovendi; 3° ob eorum nomen et habitum, ac tandem; 4° propter stemma quo Franciscalis Ordo a ceteris Ordinibus distinguitur (508). Jamvero si hujusmodi rationes vim habere dicuntur pro filiis S. Francisci Assisiensis, eo vel pluris erunt pro filiis S. Pauli a Cruce, quippe qui et fundatorem et missionem et nomen et habitum et stemma, imo et votum habeant, quo ad amorem et praedicationem Jesu Patientis integre e specialiter consecrantur. Vescamur igitur et nos volumine illo, ut « pectus nostrum bibliotheca fiat Christi », juxta S. Hieronymi dictum (509). « Comede volumen istud » (510). « manducando Crucifixum », ut verbo S. Augustini utamur (511), et omni opera incumbendo in triplex studium Passionis prouti hactenus explicavimus.

69. Passionis zelo zelandum.

Hoc namque quartam ejusdem vocabuli significationem designat, initio praesentis epistolae declaratam, prouti nempe studium est « animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicata, magna cum voluntate occupatio » (512). Hoc sensu promittimus « studium promovendi pro viribus in fidelium cordibus devotionem Dominicae Passionis, juxta Regulas et Constitutiones » (513). Notetur verbum: « studium », cui loca parallela respondent: « enixe = studiose (514) curabunt », — « hoc bonum promo-

---

(505) *Ezech.*, II, 9; III, 1, 2. — (506) Hoppenot, Op. cit., p. 243. — (507) *Epistol. ad Philadel.*; cfr. *Il Crocifisso*, Nov. 1929, p. 330. — (508) Quaresmius, *De J. C. Vulner.*, T. V, p. 219-232, passim. — (509) *Ad Heliodorum.* — (510) *Ezech.*, I, cit. — (511) *In Ps. 33*, Serm. II, n. 10. — (512) Forcellini. — (513) *Reg.*, 82. — (514) Forcellini.

vere studeant », — « conatum impleant » (515). Animadvertenda sunt etiam verba: « juxta Regulas et Constitutiones », quibus loca parallela congruunt: « modo in Constitutionibus expresso, consuetas proprii Instituti exercitationes obeant, Officia Instituti propria » (516), quae intelligenda sunt sive de methodo in praedicatione praescripto, sive de dependentia ministeriorum nostrorum respectu triplicis spiritus orationis, paupertatis et solitudinis, necnon « exercitationum spiritualium quae tanti momenti opus anteire et sociare debent, memores ad eam curam fratres universos in solitaria Instituti nostri domo potissimum et assidue incumbere. Hoc studium in ministerio pro viribus continuent » (517). Spiritus scilicet noster Carthusianus simul et apostolicus sit oportet (prouti scite exprimitur in programmate alumnatus nostri Australiani (518), eremiticus scilicet et missionarius, ut fuse in alia nostra epistola explicavimus (519).

70. Conclusio et programmatis applicatio.

Jam sermo « longior evasit quam volebam quamque putaveram », ut ait S. Augustinus (520), ideoque finem facimus, non quod fandi materia desit, sed quia ejus copia superabundat; de ipsa enim « numquam potest satis esse quod dicitur », ut loquitur S. Leo Magnus: « Quid inter omnia opera Dei ita contemplationem mentis nostrae et oblectat et superat, sicut Passio Salvatoris? Succumbat ergo humana infirmitas gloriae Dei, et in explicandis operibus misericordiae ejus imparem se semper inveniat. Laboremus sensu, haereamus ingenio, deficiamus eloquio » (521). Hanc ideo epistolam nostram et praescripto aliquo et verbis auguralibus concludimus. Ut programma supra explicatum in usum deducatur, de Curiae nostrae consilio decernimus, ut ab initio proximi anni scholastici: 1° omnes studentes curriculi philosophici studium Passionis, prout supra explicatum est, aggrediantur, aliquod manuale historicum Passionis adhibendo, a Curia Provinciali propositum aut approbatum; 2° in curriculo theologico et S. Eloquentiae deinceps studium Passionis pro-

---

(515) *Reg.*, 132. — (516) *Reg.*, 80, 190. — (517) *Reg.*, 196, 197. — (518) *Prospectus of the Preparatory College of the Passionists in Australia*, p. 6. — (519) *Bollettino*, 1927, p. 225 sq. — (520) De Doctrin. Christ., L. IV, c. 31. — (521) S. Leo M., *Serm. III de Passione Domini.*

ponatur, juxta normas directivas supra explicatas quoad singulas materias ejusdem cursus; 3° in examinibus annualibus etiam Passiologia suum locum semper habeto, juxta quaestiones a singulis lectoribus propositas; studentibus vero puncta secundum meritum, sicut pro aliis materiis, assignentur.

71. Finale auspicium.

Inde fiet, quod enixis votis expetimus, ut Congregatio nostra, sicut numero, ita et Sodalium efficientia, magis magisque augeatur, adeo ut quisque nostrum iis repleatur et compenetretur affectibus, quibus motus Divus Bernardus, de Cruce et Passione loquens, fatebatur: « Haec meditari dixi sapientiam. Haec mihi in ore frequenter, ut vos scitis, haec in corde semper, sicut Deus scit. Haec mea sublimior philosophia, scire Jesum et hunc Crucifixum. Hic tibi sit cibus et potus, dulcedo et consolatio tua, mel tuum et desiderium tuum, lectio tua et meditatio tua, oratio tua et contemplatio tua, vita, mors et resurrectio tua » (522).

In cujus rei auspicium Religiosis omnibus, et praesertim juvenibus studio addictis eorumque lectoribus, supernas benedictiones peramanter imploramus, ut omnes « Jesu Christi Passionem pio devotionis affectu jugiter recolere et in populi corde monitis et exemplis imprimere valeamus » (523).

Romae, die Solemnis Commemorationis Passionis D. N. J. C.
25 februarii, 1930

Leo a S. Corde Jesu
Praep. Gen.

Petrus a Pret.mo Sanguine
Secretarius.

N. B. - Quum haec epistola de studio Passionis fratribus laicis vix prodesse possit, ejusdem vernacula translatio Praepositorum Provincialium arbitrio relinquimus. — Pro Lectoribus prostant exemplaria latina quae mittentur statim ac Provinciales Lectorum suae Provinciae numerum Secretario Generali significaverint.

Etsi proximus Ephemeridis fasciculus satis brevi intervallo edendus sit, nomina defunctorum sine mora notificanda duximus.

---

(522) S. Bernardus, *Serm. 43 in Cant.*; Formula hon. vitae. — (523) *Oratio Octavae Sol. Commem. Passionis.*

DEPOSITO CORPORE AD CHRISTUM MIGRAVERUNT

1929

39. — *Die 5 Decembris 1929*, in religiosa domo S. Helenae (Sutton), Sor. MARIA ETELREDA JOSEPHA A SS. CORDIBUS JESUS ET MARIAE, quae, nata anno 1846, vota nuncuparat anno 1876.

40. — *Die 7 Decembris 1929*, in religiosa domo S. Pauli (Lytham-Anglia), Sor. MARIA BRUNO A MATRE DEI (Annie Balls), quae, nata anno 1861, vota nuncuparat die 15 Augusti 1900.

41. — *Die 18 Decembris 1929*, in Recessu Praesentationis B.M.V., Prov. Praesentationis, Fr. JOSEPH A PASSIONE (Michele Concutelli), qui, natus anno 1848, vota nuncuparat die 6 Novembris 1873,

42. — *Die 20 Decembris 1929*, in Provincia S. Patritii (Hibernia), P. HONORIUS AB IMMACULATA CONCEPT. (James Welsh), qui, natus anno 1877, vota nuncuparat die 24 Januarii 1900.

43. — *Die 28 Decembris 1929*, in Recessu Immac. Concept. B. M. V., Prov. Pietatis, P. ALPHONSUS M. A S. ALOYSIO (Angelo Sgavicchia), qui, natus anno 1862, vota nuncuparat die 22 Junii 1880.

1930

1. — *Die 4 Januarii 1930*, in Recessu S. Joseph, Prov. Praesentationis, P. NAZARENUS AB IMMACULATA (Nazareno Santolini), qui, natus anno 1859, vota nuncuparat die 19 Novembris 1882.

2. — *Die 12 Januarii 1930*, in Recessu SS. Cordis Jesu, Prov. S. Crucis, P. HENRICUS A CRUCE (Francis Miller), qui, natus anno 1864, vota nuncuparat die 29 Octobris 1882.

3. — *Die 27 Januarii 1930*, in Recessu Jesu de Monte (Cuba), Prov. S. Familiae, P. FIDELIS A PUERO JESU (Francisco Muinelo), qui, natus anno 1881, vota nuncuparat die 17 Novembris 1902.

4. — *Die 31 Januarii 1930*, in religiosa domo S. Joseph (Bolton), Sor. MARIA COLETTA JOSEPH A SS. SACRAMENTO (Birgitta Jallagher), quae, nata anno 1849, vota nuncuparat die 16 Junii 1883.

5. — *Die 8 Februarii 1930*, in monasterio Virg. Perdolentis (Deusto), Mater MARIA TRINITAS A LATERE JESU, quae, nata anno 1889, vota nuncuparat anno 1924.

6. — *Die 12 Februarii 1930*, in Recessu Jesu et Mariae, Prov. Pietatis, P. VINCENTIUS A PRAESENTATIONE (Celestino Prosperi), qui, natus anno 1868, vota nuncuparat die 12 Decembris 1890.

7. — *Die 27 Februarii 1930*, in Recessu S. Michaelis Archangeli (Lucca), Prov. Praesent. B. M. V., P. HENRICUS A S. JOSEPH (Giuseppe Crescini), qui, natus anno 1884, vota nuncuparat die 24 Maji 1901.

8. — *Die 1 Martii 1930*, in Monasterio S. Laurentii (Vignanello), Mater AGNES A S. FAMILIA (Giuseppina Ciavarelli), quae, nata anno 1855, vota nuncuparat die 3 Maji 1888.

9. — *Die 2 Martii 1930*, in Prov. S. Patritii, P. PANCRATIUS A SEPTEM DOLORIBUS (John Byrne), qui natus anno 1870, vota nuncuparat die I Novembris 1889.

10. — *Die 7 Martii 1930*, in eadem Provincia, P. PIUS A S. GABRIELE (Thomas Carolan), qui, natus anno 1894, vota nuncuparat die 2 Novembris 1914.

11. — *Die 15 Februarii 1930*, in Recessu a S. Joseph (Chile), Prov. Pret.mi Sanguinis, P. BENIGNUS A N. D. DE ANGOSTO (Severino Alonzo Diaz), qui, natus anno 1893, vota nuncuparat die 9 Februarii 1910.

12. — *Die 5 Martii 1930*, in Recessu S. Pauli a Cruce, Prov. S. Pauli a Cruce, P. FIDELIS A MATRE DOLOROSA (William Cummings), qui, natus anno 1893, vota nuncuparat die 6 Novembris 1912.

13. — *Die 15 Martii 1930*, in Prov. Pietatis, P. CONSTATINUS A RESURRECTIONE (Giulio Patrizi), qui, natus anno 1878, vota nuncuparat die 2 Maii 1896.

Imprimatur: LEO A CORDE JESU Praep. Gen.

P. POLISSENO ORLANDI (P. EMIDIO, Passionista) *Direttore responsabile*

ROMA — *Tipografia Agostiniana* - Via Giustiniani, 15-17 — ROMA

Vol. XI. 1 Maii, 1930 N. 2

Acta Congregationis

a SS. Cruce et Passione D. N. J. C.

Jesu Christi Passio sit semper in cordibus nostris

EX ACTIS APOSTOLICAE SEDIS

SACRA CONGREGATIO DE SACRAMENTIS.

DE QUIBUSDAM VITANDIS ATQUE OBSERVANDIS IN CONFICIENDO SACRIFICIO MISSAE, ET IN EUCHARISTIAE SACRAMENTO DISTRIBUENDO ET ASSERVANDO.

(*A. A. S. 4 Nov. 1929 - XXI. 631*)

S. Congregatio de Sacramentis, die 26 martii 1929, maximi momenti edidit Instructionem a SS.mo Pontifice specialiter approbatam, circa cautelas adhibendas: 1) in paranda materia SS. Sacramenti; 2) in ejusdem susceptione et administratione; 3) in eodem asservando ultimo triduo majoris hebdomadae.

Quoad primum, ad avertendum omne periculum nullitatis et idololatriae etiam materialis, gravibus verbis inculcatur quod jam in canone 815 praescribitur, ut scilicet « panis sit triticeus et recenter confectus; vinum autem naturale de genimine vitis et non corruptum »; et quaedam afferuntur S. Officii documenta praesertim circa vini materiam.

Quoad administrationem et susceptionem Eucharistici Sacramenti, edicitur maximam sedulitatem esse adhibendam ne consecratarum Hostiarum fragmenta pereant. Quapropter primum normae statuuntur ad nimia fragmenta in conficiendis et parandis hostiis vitanda; deinde cautelae praescribuntur, ne

fragmenta, si quae remanserint, disperdantur et pereant, tum in celebratione Missae praesertim sub dio, tum quando fidelibus Sacra Communio ministratur.

Quoad asservationem SS. Sacramenti ultimo triduo majoris hebdomadae, Instructio in mentem revocat quomodo custodienda sit sacra Hostia pro Missa Praesanctificatorum, et quomodo servandae quoque sint in pyxide particulae pro communione infirmorum.

Praescriptiones sub praecepto servandas ipsius Instructionis verbis, prout sequitur referendas censemus:

« 1. Ordinarii... ea quamprimum statuant, sedulissime servanda a Rectoribus ecclesiarum, et sub horum ductu ab aliis altari inservientibus, ut omne nullitatis periculum a Sacrificio altaris amoveatur, et omnis irreverentiae occasio arceatur.

2. Curent proinde ne in singulis dioecesibus vel civitatibus aut oppidis, pro natura locorum, idoneae desint personae, omnique suspicione majores praesertim religiosi utriusque sexus sodales, a quibus ecclesiarum rectores utramque Sacrificii et Eucharistici Sacramenti materiam, nisi apud se habeant, comparare possint, tuta conscientia adhibendam.

3. Item circa ea quae hostiarum confectionem spectant, iidem rectores advigilare debent, ne in istis fragmenta facile haerentia maneant, efficiantque ut, antequam Missa litetur, caute ac sedulo ea amoveantur, et saltem cribro leviter excutiantur, si ingens hostiarum numerus parandus sit.

4. Pervigilem adhibeant ipsi curam ut hostiae nonnisi recenter confectae consecrentur, et sacrae particulae, in pyxide adservatae, frequenter renoventur (Can. J. C. 1272, et Rit. Rom., Tit. IV, cap. I, n. 7); ad quem finem studeant ut tabernacula, ubi sacra collocatur Eucharistia, quantum fieri poterit, ab humido vel a nimio rigido aere sint defensa: humore siquidem extante, facile hostiae marcescunt, algore autem friabiles fiunt.

5. In diribenda fidelibus sacra Communione, praeter, ante communicantes extensum, linteum albi coloris, juxta rubricas Missalis, Ritualis, et Caeremonialis Episcoporum, patina erit adhibenda, argento aut metallo inaurato confecta, nullimode tamen artificiosa arte intus exsculpta, quae ab ipsis fidelibus subter eorum mentum erit apponenda, excepto casu, quo sacra Eucharistia ab Episcopo ministratur, vel a Praelato Pontifica-

libus utente, vel in Missa solemni, adstante sacerdote vel diacono, qui patinam subter communicantium mentum teneat.

6. Monendi sedulo sunt fideles ne, dum suo apponant mento patinam, et Sacerdoti dein tradunt, aut alteri fideli eam porrigunt, ita eamdem flectant aut invertant, ut, si quae adsunt, fragmenta decidant et disperdantur.

7. Fragmenta autem quae in patina post sacram fidelium communionem extabunt, quoties haec intra Missam fuerit diribita, in calicem sedulissime, digiti ope, injiciantur; in pyxidem vero, si extra Missam sacra Synaxis a fidelibus recipiatur.

Mens autem Sacrae Congregationis non est eas reprobare patinas, cujusmodi demum sint formae, quae modo adhibentur quibusdam in Ecclesiis, dummodo ex metallo sint confectae, et intus non sculptae, quaeque sint aptae sacris fragmentis colligendis.

8. Ordinarii denique satagant ut ecclesiarum rectores diligentissime munda servent altaria, una cum sacris supellectibus, illa praesertim quae sacris Speciebus excipiendis inserviunt, et sciant super observantia praefatarum praescriptionum graviter onerari eorum conscientiam.

9. Quoad asservandas sacras particulas, infirmis ministrandas postremo hebdomadae sanctae triduo, Ordinarii locorum perspectam habeant Rubricarum et Decretorum Sacrae Congregationis Rituum intentionem; scientes easdem asservari non ad publicam venerationem, imo hanc prohiberi; tamen magnopere satagendum esse, ut Eucharistiae Sacramento, habita in primis ratione loci, non desit obsequium congruentis honoris et decoris.

E.mi Patres praeterea mandarunt ut locorum Ordinarii, intra annum a recepta hac instructione, S. H. Congregationem certiorem reddant de his quae decernere censuerunt, in executionem praescriptionum heic contentarum, et ad abusus forte inolitos convellendos ».

In Audientia diei 24 Martii 1929 SS.mus D. N. Pius Pp. XI, audita relatione infrascripti Secretarii H. S. Congregationis, eamdenque Instructionem approbavit atque edi iussit, mandans ut mittatur ad omnes locorum Ordinarios et Praelatos regulares, ad hoc, ut sacerdotibus et religiosis sodalibus respective eam ipsi communicent.

SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA.

(*Officium de Indulgentiis*).

DUBIA

CIRCA INDULGENTIAM PORTIUNCULAE.

Sacrae Poenitentiariae Apostolicae sequentia dubia pro opportuna solutione exhibita fuerunt:

I. An christifideles Indulgentiam Portiunculae die secundo mensis Augusti in una ecclesia et die dominico proxime insequenti, qui ad normam decreti Sacrae Poenitentiariae Apostolicae, diei 10 Julii 1924, n. VII, substitutus fuerit, in alia ecclesia consequi valeant?

II. An verba ejusdem decreti sub n. IX « saltem sexies Pater, Ave et Gloria » ita intelligenda sint ut hae ipsae preces modo praeceptivo solvi debeant, vel integrum sit christifidelibus alias aequivalentes recitare?

Sacra Poenitentiaria Apostolica ad proposita dubia sic respondendum censuit: Ad I. *Affirmative;* ad II. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 13 Januarii 1930.

(L. ✠ S.)

S. Luzio, *Regens.*

S. de Angelis, *Substitutus.*

N. B. — N. VII, decreti Sacrae Poenitentiariae Apostolicae, diei 10 Julii 1924 de quo hic fit mentio, dicit:

« Ordinariis locorum, parochis et ipsis rectoribus aedium sacrarum, in quibus privilegium insit, facultas esto, si quidem justis de causis id expedire judicarint, pro altero mensis augusti die, qui dominicus non sit, substituendi, ad Indulgentiam lucrandam, diem dominicum proxime insequentem ».

DOCUMENTA PONTIFICIA CONGREGATIONIS

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS.

NOVITIATUS PROVINCIAE AB IMMACULATA CONCEPTIONE TRANSFERTUR IN RECESSUM LOCI VULGO CAPITAN SARMIENTO.

N. 1582/30.

Beatissime Pater,

Provincialis Congregationis Passionis Provinciae ab Immaculata Conceptione in Republica Argentina, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime implorat facultatem erigendi canonice novitiatum in loco « Capitan Sarmiento » suppresso eo qui nunc extat in loco « *Colonia Caroya* ».

Et Deus etc....

BENIGNA CONCESSIO.

Vigore facultatum a SS.mo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, audito voto Rev.mi Procuratoris Generalis, Rev.mo Praeposito Generali facultatem tribuit deveniendi ad canonicam erectionem novitiatus, proviso ut in eadem domo Superiores collocent Religiosos qui sint ad exemplum regularis observantiae studio et novitiatus ab ea parte domus in qua degunt professi sit quantum fieri potest segregatus; servatisque ceteris de jure servandis.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die 13 Martii 1930.

VINCENTIUS LA PUMA, *Secretarius.*
HENRICUS AGOSTINI, *Adiutor a Studiis.*

CONCESSIONIS EXECUTIO.

J. X. P.

Potestate nobis commissa libenter utentes, novitiatum Provinciae Immaculatae Conceptionis in loco vulgo « Capitan Sarmiento » canonice erigimus, et erectum declaramus, eo suppres-

so qui hucusque fuit in loco vulgo « Colonia Caroya », Superioribus mandantes ut clausulae Rescripti nec non alia de jure serventur.

Romae, die 14 Martii 1930.

LEO A S. CORDE J.
Praepositus Generalis.

I.

SACRA CONGREGATIO RITUUM.

FESTUM S. MARGARITAE M. ALACOQUE NOBIS CONCEDITUR CELEBRANDUM DIE 16 MENSIS OCTOBRIS.

C. 120/929.

CONGREGATIONIS PASSIONIS

D. N. J. C.

Hodiernus Procurator Generalis Congregationis Passionis D. N. J. C. Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam XI. suppliciter exoravit, ut in eadem Congregatione festum S. Margaritae M. Alacoque recoli valeat die 16 mensis octobris, quum dies 17 ejusdem mensis, statuta pro Universali Ecclesia, impedita sit ob concurrentiam Translationis S. Pauli a Cruce, Fundatoris ejusdem Congregationis, quae celebratur sub ritu duplici majori. Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab Ipso Sanctissimo Domino Nostro tributarum, attentis expositis peculiaribus adiunctis, benigne indulsit, ut in Kalendario proprio Congregationis Passionis D. N. J. C. festum S. Margaritae M. Alacoque inscribatur diei 16 mensis Octobris, sub ritu duplici minori et cum Officio ac Missa jam approbatis pro Ecclesia Universali; servatis de cetero Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 18 Novembris 1929.
(L. ✠ S.)

C. CARD. LAURENTI, *S. R. C. Praefectus.*
ANGELUS MARIANI, *S. R. C. Secretarius.*

II.

CONCEDITUR MISSA VOTIVA SANCTI PAULI A CRUCE IN ALTARI IN QUO SACRUM EJUS CORPUS ASSERVATUR.

C. 144/929.

Beatissimo Padre,

Il Procuratore Generale dei Passionisti, prostrato al bacio del sacro piede della S. V., per soddisfare il desiderio vivissimo di molti sacerdoti regolari e secolari, supplica umilmente la S. V. di voler concedere che nei giorni non impediti, si possa celebrare la Messa votiva di S. Paolo della Croce, nella Cappella a Lui dedicata dove si conserva il suo corpo.

CONGREGATIONIS PASSIONIS.

Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa XI. tributarum, ita benigne annuit ad proximum quinquennium, ut sacerdotes peregrini vel qui sacra exercitia in adnexa domo peragunt, quotidie Missam votivam Sancti Pauli a Cruce celebrare valeant in Altari in quo sacrum ejus Corpus asservatur; dummodo non occurrat aliquod duplex I. vel II. classis, Dominica, festum de praecepto etiam suppressum, Feria, Octava et Vigilia quae sint ex privilegiatis, et serventur Rubricae. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 9 Decembris 1929.

(L. ✠ S.)

C. Card. Laurenti, *S. R. C. Praefectus.*

Philippus di Fava, *Substitutus.*

III.

ACTA IN CAUSIS BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS DURANTE ANNO 1929.

Die 2 Januarii. — Nullius SS. Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias. - Indulgetur facultas aperiendi processiculum *diligentiarum* super scriptis *Servi Dei* Galilaei Nicolini, *novitii.*

Die 9 Januarii. — Nullius etc. - Eligitur Em.us Cardinalis Aurelius Galli Ponens seu Relator Causae beat. et canon. *Servi Dei* praedicti.

Die 11 Januarii. — NULLIUS etc. - Fit praelaudato Ponenti potestas eligendi revisores scriptorum *Servi Dei* PRAEDICTI.

Die 1 Martii. — DUBLINEN. seu RUREMUNDEN. - Dublini inchoatur processiculus *diligentiarum super scriptis Servi Dei P. Caroli a* S. ANDREA, cura et studio *P. Geraldi a S. Corde Vicepostulatoris.*

Die 20 Martii. — ROMANA seu MACERATEN. et TOLENTINEN. - Eligitur Em.us Cardinalis Alexander Verde Ponens seu Relator Causae Canonizationis B. VINCENTII M. STRAMBI, *Episcopi Confessoris.*

Die 11 Aprilis. — DUBLINEN. seu RUREMUNDEN. - Dublini absolvitur processiculus *diligentiarum* super scriptis *Servi Dei* P. CAROLI A S. ANDREA, cura et studio *P. Geraldi a S. Corde Vicepostulatoris.*

Die 12 Aprilis. — DUBLINEN. seu RUREMUNDEN. - Dublini absolvitur processus informativus super fama sanctitatis, virtutum et miraculorum *Servi Dei* PRAEDICTI, cura et studio *ejusdem Vicepostulatoris*, qui statim eumdem processum, una cum processiculo diligentiarum Romam defert.

Die 29 Aprilis. — DUBLINEN. seu RUREMUNDEN. - Indulgetur facultas aperiendi processum informativum, de quo supra, nec non processiculum *diligentiarum* supra memoratum.

Die 12 Maii. — GROSSETANA. - In Monte Argentario fit translatio exuviarum *Servi Dei* FRATRIS JOSEPHI A S. MARIA, *primi fratris laici Congregationis*, de Ecclesia S. Joseph ad Ecclesiam Praesentationis B. M. V.

Die 25 Maii. — DUBLINEN. seu RUREMUNDEN. - Conceditur facultas eligendi Revisores et interpretes processus informativi in Hibernia et Anglia confecti super fama sanctitatis etc. *Servi Dei* P. CAROLI A S. ANDREA.

Eadem die. — DUBLINEN. seu RUREMUNDEN. - Indulgetur facultas aperiendi processiculum *diligentiarum* in Hollandia confectum super scriptis *Servi Dei* PRAEDICTI.

Eadem die. — DUBLINEN. seu RUREMUNDEN. - Fit potestas, ope Rescripti, E.mo Cardinali Westmonasteriensi processiculum conficiendi seu iterandi examen cujusdam testis super fama sanctitatis etc. *Servi Dei* PRAEDICTI.

Die 15 Junii. — NULLIUS SS. VINCENTII ET ANASTASII AD AQUAS SALVIAS. - In Recessu Praesentationis B. M. V. super Monte Argentario inchoatur Processus ordinarius *de non cultu*

exhibito *Servo Dei* GALILAEO NICOLINI, *novitio;* die decima nona ejusdem mensis publicatur et absolvitur, cura et studio *P. Mauri ab Immaculata Conceptione Vicepostulatoris.*

Die 19 Junii. — NULLIUS etc. - Eligitur Em.us Cardinalis Januarius Granito Pignatelli di Belmonte Ponens seu Relator Causae beat. et can. *Servi Dei* PRAEDICTI.

Die 9 Julii. — ROMANA seu MACERATEN. et TOLENTINEN. - In Aedibus Vaticanis habetur congregatio ordinaria *particularis* super validitate processuum apostolica auctoritate confectorum Neapoli, Varsaviae, Romae ac Uritae quoad duo miracula pro canonizatione B. VINCENTII M. STRAMBI, *episcopi confessoris,* proposita: die 17 ejusdem mensis decretum adprobationis publici juris fit.

Die 10 Octobris. — TARQUINIEN. CORNETANA. - In oppido Vineanellum vocato, dioecesis Civitatis Castellanae, fit processiculus rogatorialis informativus, seu duae moniales a Passione Jesu interrogantur super fama sanctitatis, virtutum et miraculorum *Servae Dei* MARIAE CRUCIFIXAE A JESU, fundatricis Monialium a Christi Passione.

Die 16 Decembris. — TARQUINIEN. CORNETANA. - Tarquiniae publicatur processus informativus super fama sanctitatis, virtutum et miraculorum *Servae Dei* PRAEDICTAE.

SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA.

(*Officium de Indulgentiis*).

I.

PROROGANTUR AD QUINQUENNIUM INDULGENTIAE CONCESSAE ADSCRIPTIS CONSOCIATIONI SANCTI FELICISSIMI LOCI BILBAO-DEUSTO.

Beatissime Pater,

Hodiernus Superior provinciae regularis SS.mi Cordis Jesu, in Hispania, Congregationis Clericorum Excalceatorum SS.mae Crucis et Passionis Domini nostri Jesu Christi, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit prorogationem gratiae concessae per Rescriptum « manu propria » Benedicti Pp. XV d. d. 12 januarii 1916, quo christifidelibus, adscriptis consociationi sancti Felicissimi in ecclesia praefatorum Religiosorum

loci *Bilbao-Deusto*, aliquot Indulgentiae, ad quinquennium, tribuebantur.

Et Deus, etc.

Die 15 novembris 1929.

SS. D. N. Pius div. Prov. Pp. XI, in Audientia D. Cardinali Poenitentiario Majori impertita, benigne annuit pro petita prorogatione ad aliud quinquennium, servato tenore concessionis in supplici libello memoratae. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

I. Teodori, *S. P. Secret.*

S. de Angelis, *Substitutus.*

N. B. — Benedictus Pp. XV per memoratum Rescriptum sequentes indulgentias concessit:

1. Indulgentiam plenariam toties quoties ad modum Portiunculae, ab adscriptis associationi S. Felicissimi in die ejusdem festi lucrandam.

2. Indulgentiam plenariam ab iisdem lucrandam in die Communionis generalis.

3. Partialem ducentorum dierum quoties aliquam precem devote iidem recitaverint in ecclesia Passionistarum (Deusto) ante reliquias ejusdem sancti.

II.

INDULGENTIARUM CONCESSIO PRO PIIS SUPPLICATIONIBUS AD HONOREM PASSIONIS D. N. J. C. IN ECCLESIA RECESSUS S. GABRIELIS APUD BRIGHTON.

N. 821/30.

Beatissime Pater,

Rector Recessus S. Gabrielis, Congregationis Clericorum Excalceatorum SS.mae Crucis et Passionis Domini Nostri Jesu Christi, in Brighton, in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit in favorem Ecclesiae dicti Recessus sequentes indulgentias: I. PARTIALEM, SEPTEM ANNORUM TOTIDEMQUE QUADRAGENARUM,

saltem corde contrito singulis feriis sextis lucrandam a christifidelibus, qui adstiterint peculiaribus piis supplicationibus ad honorem Passionis Domini Nostri Jesu Christi in praefata Ecclesia habendis; II. PLENARIAM, suetis sub conditionibus semel in mense acquirendam a fidelibus qui per integrum mensem, singulis feriis sextis eodem pio exercitio interfuerint.

Et Deus etc.

DIE 9 APRILIS 1930.

SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA benigne annuit pro gratia juxta preces ad septennium. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

S. LUZIO, *S. P. R.*
S. DE ANGELIS, *Substitutus.*

ACTA CURIAE GENERALIS

I.

COMMUNICATIO DE NOVA REGULARUM EDITIONE.

Sodalibus Congregationis nostrae notum est omnibus, in ultimo Capitulo Generali, quasdam necessarias Regularum emendationes et additiones ad normam Codicis Juris Canonici propositas, maturo consilio examinatas fuisse et approbatas, simulque munus Curiae Generali demandatum, easdem S. Sedi pro opportuna confirmatione exhibendi. Pro ejusdem Capituli voto, in textu Constitutionum etiam erant inserendae nonnullae facultates seu dispensationes Congregationi jamdudum concessae, quae praesertim ad qualitates ciborum, numerum Consultorum Generalium et Chorum Nocturnum referebantur.

Porro Regularum textum, in articulos divisum, prout requirunt Normae pro Constitutionibus approbandis, cum praedictis additionibus exhibitum, Sacra Congregatio de Religiosis, solerti Consultorum revisione adhibita, die 28 aprilis 1928 suo decreto « ratum habuit et confirmavit, cum additis emendationibus praeter Codicem » juxta Capituli votum.

At occasione hujus revisionis quaedam adhuc lacunae in

Regulis innotuerunt, iis praesertim in locis in quibus novus Codex ad Constitutiones remittere solet; quapropter ut textus, quoad fieri posset, absolutus evaderet, Curia Generalis, prae oculis habens declarationes S. Congregationis de Religiosis ex decreto 26 oct. 1921, consilium iniit alias quasdam additiones et emendationes Curiis Provincialibus proponendi, atque super iis earundem consilium et judicium postulandi. His consiliis et observationibus acceptis, atque mature perpensis, eadem Curia Generalis textum definitivum iterum Curiis omnibus remisit, ut eaedem, datis suffragiis, singula simpliciter reiicerent aut approbarent. Cum igitur omnium Superiorum Majorum fere unanimi suffragio singulae emendationes approbatae fuissent, textus emendatus Constitutionum iterum S. Congregationi fuit exhibitus; quae die 13 Januarii currentis anni, edito decreto, propositas emendationes et additiones benigne approbavit atque Constitutionibus inserendas decrevit.

Uti legentibus facile innotescet, mutationes introductae non solum textus hucusque vigentis substantiam non tangunt, sed etiam pretiosissimi Regularum voluminis caracterem et propria lineamenta in omnibus intacta relinquunt.

Erat sane nonnullis desiderium (rationabile quidem et laude dignum, utpote amore et veneratione inspiratum) necessarias emendationes sub notarum aut appendicis forma adjungendi; quod tamen, cum a S. Congregatione de Religiosis absolute receptum non esset, nobis fieri non licuit.

Ceterum, sicut Sanctus Fondator noster, Regularum mutationes in successivis revisionibus et approbationibus a S. Sede praescriptas in spiritu fidei acceptavit, ita haud dubitari licet quin suas faciat recentes emendationes, a Codice et legum ecclesiasticarum evolutione impositas, atque omnes ad conservationem spiritualis aedificii ab ipso erecti ordinatas.

Nova igitur Regularum editio in lingua latina jam in promptu habetur, et citius singulae Provinciae Congregationis certum exemplarium numerum recipient. Etsi vero textus latini impressio Curiae Generali semper reservata censeatur, unjuscujusque Provinciae erit Regularum versionem in propriam respectivam linguam curare, cum obligatione versionem sic adornatam Curiae Generalis revisioni et approbationi subiiciendi. Versio autem italica ab eadem Curia Generali typis edetur.

Interim omnibus Sodalibus nostris curae sit, in cordibus

suis Regulas imprimere, easque moribus et vita adeo expromere, ut quisque nostrum veluti Regula vivens habeatur, memor illius promissionis in die professionis sibi factae: Si haec plene observaveris promitto tibi vitam aeternam.

II.

VARIANDA IN CALENDARIO CURRENTIS ANNI.

Decreto S. R. C. diei 26 Junii 1929, festum S. Margaritae M. Alacoque Virg. ad universam Ecclesiam pro utroque Clero extensum fuit, illudque sub ritu duplici minori die 17 Octobris quotannis recolendum.

Eodem decreto eadem S. R. C. mandavit ut festum S. Edwigis Viduae in posterum fixe transferatur et reponatur in diem decimam sextam ejusdem mensis. Cum die 17 Octobris a nobis recolatur Translatio S. P. N. Pauli a Cruce, Rescr. S. R. C. diei 18 Novembris 1929 nobis concessum est ut festum S. Margaritae M. Alacoque celebretur die decima sexta mensis Octobris, nihilque innovetur in nostro Calendario.

Qua de causa hic ponimus variationes inserendas Ordini Congregationis N. decurrentis anni 1930.

Die 15 Octobris. — S. Teresiae V. - Omnia ut notat. - Vesp. fer. - dupl. - a cap. seq. (noviss.) com. praec. - Compl. fer.

Die 16 Octobris. — Fer. V. - Alb. - S. *Margaritae M. Alacoque - duplex* - Off. fer. curr. et prop. loco. - Ll. I. noct. Scr. curr. cum suis R}. R}., et 2. et 3. propr. (noviss.) - Miss. propr. (noviss.) Gl. - Vesp. seq. - dupl. - ut in prop. Brev. Congregationis N., com. praec. et S. Edwigis Viduae. - Compl. fer.

Die 30 Octobris. — In margine inserantur litterae O. C. et in Missa cum quatuor orat. 3 or. *Fidelium* utpote prima dies mensis libera.

III.

DE EDITIS MEMORIIS FUNEBRIBUS.

Memoriae funebres (Cenni Necrologici) pro Sodalibus defunctis anno 1929 in lucem prodierunt atque ad singulas Provincias missae sunt, una cum memoria fusiori calamo exarata pro Rev.mo P. Sylvio a S. Bernardo Praeposito Generali ad ho-

norem. Qui easdem forte non receperit, vel alia exemplaria desideraverit, Romam scribat.

IV.

PRAESCRIPTIONES CIRCA RELATIONES DE EXAMINIBUS ANNUALIBUS ROMAM MITTENDAS.

Reverendissimus Praepositus Generalis, visis relationibus de examinibus peractis et audito consilio Secretariatus Generalis pro Studiis, Praefectis provincialibus sequentes praescriptiones pro opportunitate proponit:

1. Praefectus unjuscujusque Provinciae mittet ad Secretariatum Generalem pro Studiis elenchum, latine scriptum et in ordine professionis, illorum qui periculum annuale subire debent, nempe, Sacerdotum qui nondum quinquennium expleverunt ab *expleto studiorum curriculo* et omnium Studentium.

2. Invigilet idem Praefectus ut examinatores utantur formulis, pro relatione facienda, ad hunc finem impressis.

3. Indicet in relationibus annum Cursus scholastici, e. g. Cursus « anni primi Philosophiae », « anni tertii Theologiae », etc. Quod quidem faciat etiam in relationibus de examinibus Sacerdotum; quo in casu, annum indicare poterit in *annotationibus*.

4. In relatione de examinibus Sacerdotum referat nomina non solum eorum qui de facto examinantur, sed etiam eorum qui dispensati sunt a Praeposito Provinciali, una cum ratione dispensationis concessae.

His praescriptionibus diligenter observatis, et labor hujus Secretariatus fiet expeditior et utilior, et studiorum incrementum per examina annualia efficacius promovebitur, quod quidem omnes Sodales summopere desiderant.

V.

ABSENTIA REVERENDISSIMI PRAEPOSITI GENERALIS

Reverendissimus P. Generalis, proximo mense Julio ineunte, iter maritimum arripiet, ut, pro canonica Recessuum visitatione et Capituli celebratione, quae ideo ad hoc usque tempus, Rescripto S. Sedis prorogata fuit, in Provinciam Australianam

se conferat, Deo favente sub initio mensis Octobris Romam redux futurus. Si qui, durante eius absentia ab Urbe, cum eo personaliter et citius communicare desideraverint, litteras dirigere velint ad Recessum S. Birgittae, Marrickiville, Sydney.

Vota interim et preces filiorum illum prosequantur, ut, Angelo suo comite prosperum iter, ad bonum Sodalitatis nostrae, conficiat.

CHRONICA CONGREGATIONIS NOSTRAE

I.

ROMAE IN RECESSU SS. JOANNIS ET PAULI

SOLEMNIS INGRESSUS E.MI CARDINALIS EUGENII PACELLI IN ECCLESIAM SUI TITULI SS. JOANNIS ET PAULI.

Cum ob mortem E.mi Card. Josephi Francica Nava di Bontifé Basilica SS. Joannis et Pauli suum Titularem amiserit, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. XI benigne dignatus est novum ei Titularem adsignare E.mum Card. Eugenium Pacelli, recens ad sacram purpuram promotum. Itaque die dominica 12 Januarii Eminentissimus Princeps ad nostram Basilicam se contulit, possessionem sui Tituli capturus.

Ad januam Templi excepit eum Rev.mus P. Praepositus Generalis, religiosa familia circumdatus, eique imaginem Crucifixi osculandam exhibuit. Quam devote positis genibus osculatus, Eminentissimus Vir Ecclesiam solemniter ingressus est et, adorato divinissimo Sacramento, ad thronum sedit. Tunc Rev.mus Dominus Alfonsus Carinci, Protonotarius Apostolicus, elata voce legit Bullam, qua Eminentissimo Pacelli Titulus adsignatur SS. Joannis et Pauli; eique, lectione peracta, Rev.mus P. Praepositus omnesque sodales nostri obedientiam genuflexi praestiterunt.

Deinde idem Praepositus brevem orationem coram Purpurato Patre de more recitavit, gratulationes et vota Congregationis nostrae exprimens, et perinsignis Basilicae recolens gloriosas memorias: quae super domum SS. Joannis et Pauli a S. Pammachio aedificata, eorum-

dem Beatorum Martyrum corpora ac sepulcrum « *in ipsis visceribus Civitatis* », privilegio singulari, custodierit; quae aliorum Sanctorum insignibus reliquiis, dulcissimi Patris nostri legiferi Pauli a Cruce et B. Vincentii M.ae Strambi decoretur exuviis; quae a S. Damaso carminibus celebrata, ab aliis Pontificibus splendide exornata, *Basilicae magnae et formosae valde* in antiquis itinerariis nomen adepta, plures inter suos Titulares vel Sanctos, vel Pontifices, vel perillustres viros habuerit. Horum certe ordini novum splendorem addere Eminentissimum Pacelli, cujus praeclare gesta omnibus admirationi sint, et optimum testimonium ubique dicant.

Respondit Eminentissimus Princeps gratissimum sibi accidere et verba ei benevole facta, eoque magis quod Titularis nuncupatus sit vetustae hujus Ecclesiae, quae optimo jure dici possit anulus conjunctionis inter catacumbas et majores Basilicas Romanas. Sacrum hunc collem subiens, ita prosecutus est, sponte recogitat illa verba: « *Solve calceamentum pedum tuorum; locus enim, in quo stas, terra sancta est* ». Vere sanctus est locus ubi Ecclesia consurgit, quia sanguine Martyrum perfusus; et quia conspicienti e summo colle hic prope ruinas delapsae gloriae, illic longe admirabilem tholum Vaticanum, in mentem ingerit veram gloriam esse quae temporum vicissitudines transgreditur eamque unice appetendam. Hanc gloriam imperituram appetivere Martyres nostri et assecuti sunt; ideo, jamdiu extincto igne in templo Vestae, ante sepulcra Martyrum perpetuae lampades votivae collucescunt.

Cum autem nulla detur victima sine sacrificio, memoria tormentorum quae passi sunt Martyres, excitare nos debet ad eorum fortitudinem imitandam. Quod si nunc, excepta aliqua natione, non habentur persecutiones cruentae, semper tamen miles Christi regnum Crucis defendere debet; regnum enim Christi, regnum est Crucis: defensio igitur martyrium exigit non tam corporis quam spiritus, in signum unionis nostrae cum Christo.

Hujus martyrii spiritualis magister eximius extitit S. Paulus a Cruce, Fundator Congregationis a Passione, et imago dulcis pariterque sublimis S. Gabriel a Virgine Perdolente.

Talia inspiciendo exempla, et ex aperto colle in arenam amphitheatri Flavii, super quam pugnaverunt Martyres, oculos convertendo, desiderio incendimur patiendi, ita ut, subacta corporis materia a siti dolorum animam comburente, vita nostra ad coelestia semper anhelans quasi perpetuo fulgore illustretur.

Expleto sermone, nostra schola cantorum hymnum cecinit gratia-

rum actionis « *Te Deum* »; postea Eminentissimus Princeps orationem Sanctorum Martyrum Joannis et Pauli legit, et trinam benedictionem impertitus, accessit ad venerandum corpus S. Patris Nostri, et in sacrarium perrexit, ubi documenta captae possessionis lecta et signata sunt, et Emintentissimo Principi gratulationes et vota sunt exhibita ab illustrissimis viris qui caeremoniae adstiterant.

Decorem enim solemnitati addiderant, praeter Templi ornatum amplissimum populumque frequentem, plures Episcopi, Collegium Legatorum publicis negociis gerendis apud S. Sedem, non pauci Superiores Generales Religionum, Praelati Romanarum Congregationum, principes et nobiles Urbis.

Liceat dignam laudem tribuere Rev.mo Domino Carolo Respighi, Praefecto a Caeremoniis Pontificiis, qui omnia rite disposuit et ordinem caeremoniae accurate praestituit; necnon Exc.mo Gubernatori Urbis, qui virides palmas, arbores et flores, ad ornatum Basilicae, ex hortis publicis ultro munifice remisit.

STATIO AD SS. JOANNEM ET PAULUM.

Mos antiquus et piissimus visitandi statis diebus Martyrum reliquias in vetustis Ecclesiis Urbis, ultimis hisce annis in pristinum decorem restitutus est. Et sane gaudet animus conspicientium devotam fidelium frequentiam, praesertim Seminariorum et Religionum alumnorum, in sacris reliquiis venerandis.

In nostra Basilica SS. Joannis et Pauli ex institutione S. Gregorii Magni Statio celebratur feria sexta ante primam dominicam Quadragesiame, quae hoc anno incidit in diem 7 Martii, festum S. Thomae Aquinatis. Magna fuit christifidelium frequentia, et vespertinae supplicationi poenitentiali, maxima cum religione adfuit ipse Eminentissimus Eugenius Card. Pacelli a Secretis Status, nostrae Basilicae Titularis, cujus praesentia omnium pietatem movit, tum ob tanti viri exemplum, tum ob rei novitatem, cum a tempore immemorabili Titulares Basilicae nostrae extra Urbem commorantes hisce supplicationibus numquam adesse consueverint.

Basilica jam pro adoratione XL Horarum die sequenti incipienda ornata erat, cereis innumeris et candelabris apte distributis, palmis et floribus iterum ab Exc.mo Gubernatore Urbis munifice oblatis.

PROFESSIONES PERPETUAE.

Die 30 Januarii 1930 in sacello, in quo Exuviae S. Patris Nostri reconditae sunt, Exc.mus Dominus Joannes Baptista Peruzzo, Episco-

pus Dioecesis Oppidensis, e Nostra Sodalitate, ex delegatione Rev.mi P. Praep. Generalis, professionem votorum perpetuorum excepit *Confr. Ferdinandi a S. Joseph*, e Prov. Purissimi Cordis B. M. V.

Die 6 Martii ejusdem anni, in praefato Sacello vota perpetua emiserunt, in manibus Adm. R. P. Lucae a Virg. Pompejana, primi Consultoris Generalis item ex delegatione ejusdem Rev.mi P. Praep. Generalis, *Confr. Cherubinus a S. Carolo* et *Confr. Hyacinthus a SS. Sacramento*, e Prov. B. M. V. Dolorosae.

N. B. In praesenti Actorum numero, una cum *professionibus* et *ordinationibus sacerdotalibus* currentis anni (quarum quidem notitiam accepimus) etiam illae relatae sunt quae anno superiore locum habuerunt. In posterum quolibet trimestri in Actis relatio *vestitionum, professionum* et *ordinationum* saltem *sacerdotalium* habebitur; quapropter Superiores ad quos pertinet, Secretarium Generalem de his interim peractis, quantocius certiorem facere curabunt.

II.

PROVINCIAE CONGREGATIONIS NOSTRAE.

PROVINCIA PRAESENTATIONIS B. M. V.

1. *Electio canonica Magistri Novitiorum.* — Defuncto Adm. R. P. Nazareno a Maria Immaculata, Novitiorum Magistro, Curia Provincialis in ejusdem locum suffecit *Adm. R. P. Isidorum a S. Paulo a Cruce*, die 13 Januarii hujus anni 1930.

2. *Professiones temporariae.* — In Recessu S. Joseph, Argentarii Montis, vota sua temporaria emiserunt, durante anno 1929:

Die 26 Februarii, *Frater Angelus a S. Joseph.* — Die 10 Junii, *Fr. Gabriel a Jesu Crucifixo.* — Die 8 Octobris, *Confratres: Valentinus a M. Immaculata, Faustinus a Nomine Mariae, Dominicus a Jesu Crucifixo, Marianus a Jesu*, et *Ildefonsus a S. Corde Mariae.* — Die 13 Novembris, *Conf. Victorius M. a Cruce*, et *Fr. Clemens a Cruce.* — Die 18 Decembris, *Confr. Eligius a Maria Infante.*

PROVINCIA B. M. V. DOLOROSAE.

Professiones temporariae. — In Recessu S. Mariae Gratiarum (Pontecorvo), durante anno 1929, temporaria vota emiserunt:

Die 15 Junii, Confratres: *Marianus a Corde Jesu* et *Calistus a S. Teresia.* — Die 28 Septembris, *Fr. Joseph ab Immaculata.* — Die 4 Octobris, *Fr. Felix a S. Paulo a Cruce.* — In Recessu S. Mariae de *Pugliano* (Paliano), die 26 Octobris, *Confratres: Ignatius ab Immaculata, Ambrosius a V. Dolorosa,* et *Fr. Nazarenus a V. Carmeli.* — Die 2 Decembris, *Confratres: Cornelius ab Angelo Custode* et *Joseph a Jesu et Maria.*

PROVINCIA B. M. V. A PIETATE.

Professiones temporariae. — In Recessu B. M. V. a Pietate, temporaria vota emiserunt durante anno 1929: die 3 Aprilis, *Frater Alphonsus a Virgine Perdolente,* et *Fr. Augustinus a Virg. Perd.* — Die 7 Maii, *Conf. Maurus a Sacris Cordibus,* et *Fr. Stanislaus a S. Teresia ab Infante Jesu.* — Die 3 Julii, *Fr. Angelus a S. Familia.* — Die 30 Octobris, *Confratres: Beniamin a Corde Mariae,* et *Venantius a Virgine de Quercu.* — Die 16 Decembris, *Confr. Leo ab Immaculata.*

PROV. S. PAULI A CRUCE.

Ordinationes. — Die 15 Martii 1930, in Recessu Immaculatae Conceptionis (Jamaica, L. I.), sexdecim ex nostris Studentibus sacro Praesbyteratus ordine insigniti sunt ab Exc.mo Domino Paulo Joseph Nussbaum nostrae Congregationis.

Illi autem sunt: *Stephanus Paulus a Matre Dolorosa. — Paulus Maria a S. Gabriele. — Fredericus a Corde Mariae. — Dionysius Maria a Vultu Sancto. — Bernardinus a Sanctissimo Sacramento. — Martinus a S. Patritio. — Leo Joseph a Sacra Familia. — Linus a Corde Jesu. — Celestinus ab Immaculata Conceptione. — Gabriel Maria a Virgine Dolorosa. — Marcus Franciscus a Sacra Familia. — Augustinus Patritius a Regina Martyrum. — Justinianus a Sacratissimo Corde. — Chrysostomus a Cordibus Jesu et Mariae. — Arturus a Corde Immaculato Mariae. — Joannes Gerardus a Matre Perp. Succursus.*

PROV. SS. CORDIS JESU.

Professiones temporariae. — In Recessu N. Dominae de Angosto, temporaria vota emiserunt acto anno durante: Die 25 Maii, *Conf. Patricius ab Infante Jesu.* — Die 7 Julii, *Fr. Isidorus a S. Rosendo.* — Die 23 Octobris, *Confratres: Ephrem a S. Familia,* et *Joseph a Jesu et Maria.*

PROV. PURISSIMI CORDIS B. M. V.

1. *Canonica electio Rectoris Recessus S. Gabrielis a Virg. Perd.* (*S. Zenone degli Ezzelini*), *et Rectoris Recessus S. Pancratii M.* (*Pianezza*). — Cum munus Rectoris in priori memorato Recessu vacasset, Curia Provincialis, die 19 Novembr. 1929 ad idem officium postulavit *Adm. R. P. Thomam a Sacro Latere*, qui necessariam dispensationem ab aetate a S. Sede obtinuit, Rescripto diei 13 Decem. 1929. Item ad officium Rectoris S. Pancratii M., vacans ob renuntiationem R. P. Adriani a S. Michaele Archang. electus fuit, die 10 Januarii 1930, *Adm. R. P. Lucas a S. Marco.*

2. *Professiones temporariae.* — In Recessu S. Gabrielis a V. D., temporaria vota emiserunt durante anno 1929: Die 1 Augusti, *Fratres, Justinus a Domina Gratiarum*, et *Camillus a S. Familia.* — Die 9 Septembris, *Confratres: Athanasius a SS. Trinitate, Hilarius a SS. Sacramento, Primus a S. Latere, Gerardus a Maria Auxiliatrice, Ildefonsus a Virg. Gratiarum, Albertus a Sanctissima Virgine, et Lucianus a Matre S. Spei.*

PROV. A LATERE CHRISTI.

Professiones temporariae. — In Recessu B. Mariae V. de Catena (Laurignano) vota temporaria emiserunt: Die 25 Martii, *Conf. Ignatius a S. Gabriel a Virg. Perd.* — Die 28 Aprilis, *Frater Gerardus a S. Joseph.* — Die 9 Maii, *Frater Felix a Virg. Perdolente.* — Die 20 Julii, *Frater Franciscus a Quinque Vulneribus.* — Die 30 Septembris, *Confratres: Athanasius a Jesu et Maria, Jucundus a Virg. Perd.*, et *Germanus a Spiritu Sancto.* — Die 5 Octobris, *Confratres: Gabriel a S. Joseph*, et *Marcellinus ab Immaculata.* — Die 19 Octobris, *Conf. Marius a S. Pancratio.*

PROV. S. FAMILIAE.

Professiones temporariae. — In Recessu N. Dominae « Del Villar » (Corella), durante anno 1929, vota temporaria emiserunt: Die 31 Augusti, *Frater Desiderius a Virg. Perdolente.* — Die 29 Septembris, *Confratres: Angelus ab Immaculata, Eusebius ab Immaculata, Teophilus a S. Corde Jesu, Eusebius a S. Joseph, Petrus a Pretiosissimo Sanguine, Donatelus a Septem Doloribus, Emeterius a Virg. Dolorosa.*

PROV. SS. CRUCIS.

Ordinationes. — Die 22 Decembris anni 1929, sacro Presbyteratus Ordine insigniti sunt sequentes Patres, in Recessu S. Gabrielis degentes:

Arnulphus a S. Familia, Alanus a S. Gabriele, Daniel a S. Antonio de Padua, Lambertus a Matre Dei, Valentinus a Virgine Perdolente, Romualdus a Doloribus Mariae, Eustachius ab Assumptione, Camillus a Virg. Perdolente, Malcolmus a Maria, Clarentius a Passione, Canicius ab Assumptione, Edgardus a Spiritu Sancto, Rodulphus a S. Joseph.

PROV. S. GABRIELIS A VIRG. PERDOLENTE.

1. *Ordinationes.* Die 10 Augusti anni 1929, Patres *Angelus a S. Joseph*, et *Benedictus a SS. Eucharistia*, in Recessu S. Antonii Patavini degentes, sacro Presbyteratus Ordine insigniti sunt.

2. *Electio canonica Rectoris Recessus S. Joseph (Wesembeek-Ophem).* — Defuncto Adm. *R. P. Valentino ab Immac. Concep.*, Rectore memorati Recessus, Curia Provincialis, cum consensu Rev.mi P. Generalis, in eiusdem locum suffecit *Adm. R. P. Donatum a S. Aloisio*, die 17 Novem. 1929.

3. *Electio canonica Rectoris Recessus B. M. V. Dolorosae (S.te Catherine Wavre.* — Item, ob canonicam erectionem Recessus B. M. V. Dolorosae (S.te Catherine Wavre), primus ejsdem Recessus Rector renuntiatus est *Adm. R. P. Vincentius a Virg. Perdolente*, eodem die et ab eadem Curia.

4. *Professiones temporariae.* — In Recessus S. Gabrielis, anno 1929 durante, vota temporaria emiserunt: Die 15 Februarii, *Frater Dominicus a S. Corde Jesu.* — Die 16 Septembris, *Confratres: Emilianus a Puero Jesu, Hubertus a Virg. Septem Dolorum, Bonaventura a Virg. Mediatrice, Andreas a Virg. Mediatrice, Felix ab Immaculata Conceptione, Julianus a Matre Dolorosa*, et *Frater Vedastus M.ª a Passione.*

PROV. SPIRITUS SANCTI.

1. *Professiones perpetuae.* — Die 10 Maii 1929, vota perpetua emiserunt: *Confratres: Gualterius a Virg. Dolorosa, Matthaeus a S. Corde Jesu*, et *Leonardus a Virg. Dolorosa.*

2. *Professione temporariae.* — Item, in Recessu Praesentationis B. M. V. temporaria vota emiserunt, die 18 Decembris, *Confratres: Antonius a Pretiosissimo Sanguine*, et *Wilfridus ab Immaculata Conceptione.*

PROV. PRETIOSISSIMI SANGUINIS.

1. *Ordinationes.* Die 25 Maii anni 1929, S. Presbyteratus Ordine insigniti sunt Patres, *Ferdinandus ab Assumptione, Alexander a S. Michaele,* et *Hermenegildus a S. Paulo a Cruce*: et die 21 Septembris, ejusdem anni, *Pater Ubaldus a Nomine Mariae;* omnes in Recessu SS. Joannis et Pauli (Peñafiel) degentes.

2. *Professiones temporariae.* — Item, in Recessu S. Joseph (Peñaranda de Duero), vota temporaria emiserunt: die 24 Februarii 1929, *Frater Franciscus a S. Aloisio.* — Die 18 Januarii, *Frater Julius a Passione.* — Die 24 Februarii, *Frater Franciscus a S. Aloisio.*

PROV. « MATER SANCTAE SPEI ».

Professiones perpetuae et temporariae. — In Recessu Matris Dolorosae, vota perpetua emiserunt: Die 15 Maii 1929, *Frater Gabriel a Jesu et Maria.* — Die 29 Augusti, *Frater Joseph a Matre S. Spei.* — Et ibidem eodemque anno vota temporaria emiserunt: die 3 Februarii, *Fr. Henricus a Virg. septem Dolorum;* die autem 1. Septem., *Confratres Gabriel a SS.mo Sacramento et Alexander a SS.mo Sacramento,* necnon *Fratres Venantius ab Imm. Conceptione et Joannes a Virg. Septem Dolorum.*

PROV. CALVARII.

1. *Electio canonica* 2i *Consultoris Provincialis.* — Cum per obitum secundi consultoris *Adm. R. P. Georgii a S. Aloisio,* hoc officium vacasset, Curia Provincialis, juxta statuta a Regulis nostris, una cum *Adm. R. P. Damaso a SS. Rosario,* Praepositi Generalis delegato, ad idem munus elegit *Adm. R. P. Ignatium a SS. Cordibus,* die 5 Januarii anni 1930.

2. *Professiones temporariae.* — In Recessu Boni Jesu (Curitiba), die 14 Novembris 1929, temporaria vota emiserunt: *Confratres*: *Gregorius a Virg. Dolorosa, Nazarenus a Matre Dei, Ferdinandus a SS. Virgine, Alphonsus a Virg. Perdolente, Sylvius a SS.ma Virgine,* et *Anselmus a N.a Domina Perpet. Succursus.*

PROV. S. PATRITII.

Professiones temporariae. — In Recessu S. Gabrielis, die 16 Novem. 1929, vota temporaria emiserunt: *Confratres*: *Eduardus ab Infante Jesu, Celsus a S. Corde Jesu, Matthaeus a VII Doloribus B. M. V., Raymundus a Sanctis Animabus, Finianus a VII Doloribus B. M. V., Levinus a VII Doloribus B. M. V.*

RECESSUS AUSTRIAE, GERMANIAE ET POLONIAE.

1. *Professio perpetua.* — In Recessu SS. Jacobi et Annae (Przasnyzs-Polonia) vota perpetua emisit, die 19 Martii 1929, *Frater Gabriel a Virg. Perdolente.*

2. *Professiones temporariae.* — In Recessu « Maria Schutz », (Austria), die 28 Julii 1929 vota temporaria emiserunt: *Confratres*: *Gabriel a Matre Dolorosa*, et *Paulus a Passione.*

Item in Recessu SS. Jacobi et Anna (Przasnysz-Polonia), durante anno 1929, vota temporaria emiserunt die 19 Martii: *Confrater Fulgentius a Jesu.* — Die 28 Aprilis, *Confrater Stanislaus a Regina Martyrum.* — Die 16 Septembris, *Frater Andreas a S. Stanislao*, et *Frater Gregorius a S. Paulo a Cruce.* — Die 8 Decembris, *Frater Michael ab Immaculata Conceptione.*

III.

MISSIONES

I.

NOMINATIO NOVI PRAEFECTI APOSTOLICI IN SINIS.

REVENDISSIMUS PATER CUTHBERTUS A CRUCE PRAEFECTUS APOSTOLICUS DE SHENCHOW RENUNCIATUR.

Die 14 Februarii, 1930, decreto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide renunciatus est Praefectus Apostolicus de Shenchow ad eiusdem Congregationis beneplacitum Rev.mus P. Cuthbertus O' Gara, loco R. P. Dominici Langenbacher qui, anno praeterito, se munere abdicavit. — P. Cuthbertus natus est Ottavae (Canadà) die 1 Aprilis 1886. Literariis studiis expletis, altioribus disciplinis in Universitate Ottaviensi et deinde in Seminario maiori Marianopolitano navavit operam; gradibusque in Philosophia potitus, Congregationem nostram amplexus est in novitiatu Pittsburgensi Provinciae S. Pauli a Cruce, ibique expleta probatione, vota nuncupavit die 18 octobris 1914. Sacerdotio, anno sequenti, initiatus, primum S. Theologiam, subinde Jus Canonicum et S. Scripturam cum laude docuit in variis Recessibus eiusdem Provinciae; tandem, post iteratas petitiones, anno 1924 ad Sinensem Missionem missus fuit.

Ei igitur vehementer gratulamur, Dominum messis simul ro-

gantes ut omnia, sub eius regimine, fauste prospereque in Missione procedant, et infideles eiusdem curis concrediti, ad Evangelii lumen perducantur.

II.

DE STATU MISSIONUM NOSTRARUM.

A). — STATUS MISSIONIS BULGARIAE SEPTENTRIONALIS.

(Die 1 Januarii 1930).

Incolae	2.537.460
Catholici	17.460
Schismatici	1.920.000
Turcae	600.000
Missiones	27
Paroeciae	19
Sacerdotes Passionistae exteri	11
Sacerdotes saeculares exteri	1
Sacerdotes Passionistae indigenae	4
Sacerdotes saeculares indigenae	3
Coadiutores laici	4
Alumni in Seminariis	26
Patres Augustiniani ab Assumptione	10
Fratres a Scholis Christianis	10
Sorores N. D. de Sion	39
Sorores Benedictinae Germanicae	34
Sorores Oblat. ab Assumptione	20
Sorores Caritatis a Zagreb	2
Scholae precum	2
Alumni	250
Scholae inferiores (mixtae)	1
Alumni	50
Scholae professionales pro puellis	2
Alumnae	60
Scholae mixtae pro catholicis et acatholicis	4
Alumni	940
Collegia pro puellis	1
Alumnae	130
Ecclesiae publicae	20
Sacella absque residentia	3
Coemeteria	12

Orphanotrophia (mixta)	1
Alumni	20
Tabernae medicamentorum	3
Curae confectae	1.860
Conversi a schismate	17
Baptismata adultorum	4
Baptismata infantium	662
Confirmationes	534
Communiones Paschales	11.000
Communiones devotionis	119.078
Extremae unctiones	158
Matrimonia	159
Defuncti	300

B). — STATUS MISSIONIS S. GABRIELIS DEL MARANON.

(Die 1 Junii 1929).

Incolae	66.000
Catholici	60.000
Pagani	6.000
Paroeciae et quasi-paroeciae	60
Sacerdotes hispanici Passionistae	13
Fratres coadiutores Passionistae	5
Sorores Franciscanae missionariae	5
Catechistae	40
Scholae precum	7
Alumni	1.000
Scholae inferiores	2
Alumni	105
Officinae	1
Typographia	1
Ecclesiae et sacella	62
Ecclesiae cum residentia	7
Coemeteria	76
Baptismata adultorum	56
Baptismata infantium	2.968
Confirmationes	125
Confessiones de praecepto	3.720
Confessiones devotionis	18.376
Communiones Paschales	3.712

Communiones devotionis	22.765
Extremae unctiones	260
Matrimonia	581
Defuncti	430

C). — STATUS MISSIONIS DE SHENCHOW IN SINIS.

(Die 1 Julii 1929).

Incolae	4.502.710
Catholici	2.450
Haeretici	260
Pagani	4.500.000
Missiones	17
Stationes	23
Sacerdotes americani Passionistae	26
Alumni in seminario praeparatorio	10
Sorores Caritatis americanae	5
Sorores Caritatis indigenae	1
Sorores S. Joseph americanae	4
Virgines indigenae extra claustra viv.	9
Catechistae viri	42
Catechistae mulieres	21
Magistri	18
Magistrae	7
Baptizantes viri	167
Baptizantes mulieres	99
Scholae precum pro pueris	17
Alumni	251
Scholae precum pro puellis	14
Alumnae	188
Scholae inferiores pro pueris	5
Alumni	161
Scholae inferiores pro puellis	3
Alumnae	53
Collegia catechistarum	2
Alumni	15
Ecclesiae publicae	9
Sacella cum residentia	18
Sacella absque residentia	11
Coemeteria	3
Orphanotrophia puerorum	5

Alumni	74
Orphanotrophia puellarum	5
Alumnae	69
Instituta caritatis virorum	2
Quot degentes	16
Instituta caritatis mulierum	1
Quot degentes	8
Tabernae medicamentorum	12
Curae confectae	32.119
Catechumenatus virorum	18
Auditores	566
Catechumenatus mulierum	18
Auditores	502
Christianitates ubi missio praedicata est	40
Praedicationes fidelibus	13.007
Praedicationes infidelibus	10.505
Conversi ab haeresi	6
Baptismata adultorum	192
Baptismata infantium	189
Confirmationes	141
Confessiones de praecepto	1.554
Confessiones devotionis	28.887
Communiones Paschales	1.551
Communiones devotionis	82.494
Extremae unctiones	83
Matrimonia	27
Defuncti	115

Archisodalitatis a Passione novae erectiones.

Diplomate diei 21 Novem. 1929, Sodalitas nostra erecta fuit in Instituto S. Pauli a Cruce, loci *Castello di Signa*, dioecesis Florentin. (Italia).

Item, diplomate diei 21 Januarii 1930, in ecclesia S.mi Salvatoris, loci *Brugine*, dioecesis Patavin. (Italia).

Item, diplomate diei 9 Februarii 1930, in ecclesia S. Bartholomaei, loci *Ormelle*, dioecesis Tarvisin. (Italia).

Item, diplomate diei 10 Februarii 1930, in ecclesia S. Fuschae, loci *Roncadelle*, dioecesis Tarvisin. (Italia).

Item, diplomate diei 17 Februarii 1930, in ecclesia S. Pantaleonis. loci *Castiglione*, dioecesis Ravennaten. (Italia).

Benefactores cooptati.

In albo benefactorum Congregationis nostrae, patentibus litteris R.mi P. Praepositi Generalis, recensiti sunt:

Die 25 Decembris 1929, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Justino a Virgine Assumpta, Praep. Prov. Purissimi Cordis B. M. V., *Rev. D. Franciscus Josephus Brignoli*, loci *Bani* (Italia).

Item, eodem die, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Famiano a Doloribus B. M. V., Praep. Prov. a Pietate, domina *Zenaides Sagrini*, loci *Macerata* (Italia).

Item, die 25 Februarii 1930, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Marino a Jesu et Maria, Rectore Recessus B. M. V. de Stella, *R.mus D. Canonicus Emilius Falcinelli*, loci *Foligno* (Italia).

Item, eodem die iisdemque precibus, dominus *Erasmus Carissimi*, loci *Piediripa* (Norcia - Italia).

Item, die 7 Aprilis 1930, precibus exhibitis ab Adm. R. P. Alphonso a S. Corde Jesu, Rectore Recessus S. Mariae Angelorum (Sora), coniuges *Antonius Castellucci* et *Crisina Carosella*, et eorum filius *Marius*, loci *Sora* (Italia).

BIBLIOGRAPHIA

P. Ireneo di S. Giov. Evangelista C. P., *Le Tre Ore di Agonia del N. S. Gesù Cristo e il Pio Esercizio della Desolata*, (Roma 24, Scala Santa) pag. 110, cm. 14,5 × 9,5.

Auctor sibi praestituit offerre fidelibus argumentum piae meditationis et sacerdotibus subsidium ad praedicanda duo haec exercitia in honorem Agoniae D. N. Jesu Christi et Virginis Perdolentis, dilectissimo Filio suo orbatae. Ad hunc finem breves ac fervidas allocutiones habet ad singula verba Christi cruci affixi, et ad praecipuos dolores divinae Matris post mortem Filii, juxta morem pluribus in locis inductum frequentandi haec duo pia exercitia feria sexta majoris hebdomadae.

Prima editio apparuit anno elapso, et jam altera apparet, aucto secundo exercitio, quod in prima deerat.

Opus suo fini optime respondet: fideles enim hic invenient saluberrimum pietatis pabulum, necnon hortationes practicas ad virtutes Christi imitandas; sacri vero oratores modum proponendi recte et utiliter verbum Dei. Revera merito Auctoris tribuendum est quod Scripturam Sacram tam frequenter ac erudite adhibeat, Patrum et theologorum vestigia ubique secutus.

Un'Ora con Maria Addolorata, Ed. 4ª (Roma 24, Scala Santa) pag. 32, cm. 14,5 × 8,5.

Jam quarto prodit pius iste libellus, a Sacerdote Congregationis nostrae conscriptus, ad docendum fideles facilem methodum compatiendi per integram horam

afflictissimae Matri, dolores ejus recolendo, quos pertulit in morte Filii sui primogeniti. Tres editiones brevi tempore divenditae bene testantur quem favorem libellus sortitus sit (Cf. *Bolletino*, VI 1925, pag. 320).

REV. WLLIAM SCHAEFFLER, *From the rose-garden of our Lady*: a book of Rosary meditations, from the German translated into English and revised by *Fr. Matthew C. P.* (« *Ars Sacra* » Joseph Mueller, Munich 23) pag. 96, cm. 14 × 10.

Vere utilis haec opella ad fidelium pietatem excitandam in recitatione Rosarii B. V. M. Cuilibet mysterio praemittitur textus evangelicus relativus et generatim aliquid de Imitatione Christi; deinde ad singulas *Ave Maria* brevissima et efficax consideratio. Ex. g. in nativitate Domini: « Pauper stabulum, praesepe, palea: haec fuit prima habitatio a puero Jesu selecta. Omnia alia recusat: me solum ipse quaerit. Ideo coelum mihi quaerendum, potius quam terra » (p. 23, 3).

Et in flagellatione: « O patientia Christi infinita! Ne gemitus quidem ex ore eius! O Jesu, fac me patientem et resignatum sicut Tu » (p. 47, 6).

Prae oculis etiam ponuntur artisticae tabulae phototypice impressae, ita ut pia fidelium mens omnia habeat subsidia ad Rosarium cum spirituali fructu recitandum. Optime igitur noster P. Matthaeus adlaboravit in hoc libello e germanica lingua in anglicam reddendo.

P. IGNACIO DE S. JUAN EVANGELISTA C. P., *Novena a nuestra Señora Madre de la S. Esperanza* (Imprenta Liguria, Valparaiso, 1929) pag. 127, cm. 13 × 9.

Proponitur methodus sancte obeundi novendiale in honorem B. Mariae Virginis sub titulo Matris S. Spei. Singulis diebus, post actum contritionis et orationem praeparatoriam, habetur devota meditatio de privilegiis, vaticiniis et figuris, de cultu divinae Matri debito; accedit exemplum fere semper desumptum e biographiis Sodalium nostrorum, qui in exordio Congregationis virtutibus floruerunt, deinde salutationes et canticum, exercitium practicum et oratio finalis. In modum appendicis adiungitur devotio, quae dicitur quindecim sabbata, in honorem Matris S. Spei, necnon cantica varia, a R. P. Constantino a S. Thoma C. P. composita.

Utile sane opus offert Sodalibus nostris Auctor sive ad eorum pietatem fovendam erga Beatissimam Virginem sub titulo Matris S. Spei, jam inde antiquitus apud nostros in veneratione habitam, sive ad hunc cultum inter fideles promovendum.

P. BONIFACIUS C. P., *De H. Paulus van Het Kruis, Stichter der Passionisten* (Uitgave der Paters Passionisten) pag. 360, cm. 22 × 17.

Quod in votis erat praesertim Sodalium Provinciae a Matre S. Spei, opere implevit P. Bonifacius, vitam S. Patris nostri hollandico idiomate conscribens. Tres distinxit partes: *in prima* gesta iuventutis exponit, usque ad eius definitivam commorationem in Monte Argentario; *in secunda* labores et aerumnas quae tulit ad animas Christo lucrandas; *in tertia* heroicas virtutes, mysticam unionem cum Deo, pretiosam mortem.

Stilus simplex et fluens populo accommodatus, variae narrationes, quae virtutes illustrant vel miracula describunt, pulchrum volumen in nitida veste typographica, omnia simul conspirant ad vitam Patris nostri Legiferi magis magisque no-

tam reddendam, cultumque ejus augendum in Hollandia, ubi jam exstat fidelium consociatio sub ejus nomine.

CHAN. R. DE THOMAS DE SAINT-LAURENT, *Saint Paul de la Croix* (Auhanel Frères en Avignon) pag. 89, cm. 18,5 × 12.

Opus vere egregium, in quo cl. Auctor breviter, profunde ac vivide describit Patrem nostrum Legiferum. Praemissa introductione, quatuor habentur capita: 1° Juvenis; 2° Fundator; 3°Apostolus; 4° Mysticus.

In intimam animam S. Pauli penetrans cl. Auctor ostendit spiritum orationis et arctissimae cum Deo unionis totam fuisse rationem vitae et apostolatus ejus. Placet haec verba referre: « *Son exemple fera comprendre de plus en plus à nos lecteurs que pour exercer un apostolat fécond il faut avant tout mener une vie intérieure et perdue en Dieu* » (p. 11). Et alibi post relatas varias artes adhibitas a S. Paulo in Missionibus apostolicis, ut animas peccatorum ad Christum reduceret: « *Quelque puissantes qu'on les estime, elles ne suffisent donc pas à expliquer des succès qui ne furent point partagés. L'éloquence du Bienheureux Père venait d'une source plus profonde: elle jaillissait de son coeur transfiguré par la sainteté* » (p. 64 s.). « *Il fut un grand convertisseur, parce qu'il vivait habituellement plongé et comme perdu en Dieu. Certes, avant de monter en chaire, il ne négligeait pas le travail intellectuel, mais il employait surtout l'oraison comme préparation dernière. Il lui arrivait de passer des heures, des nuits entières en prière, avant de prendre la parole en public. De son âme embrasée pouvait-il jaillir autre chose que des flammes?* » (p. 66 s.).

Grati sumus cl. Auctori, spem certam habentes fore ut opus ejus optime inserviat ad venerationem et amorem augendum erga Patrem nostrum Legiferum.

P. BERNARDINO DELL'ADDOLORATA C. P., *Quarant'anni d'apostolato di S. Paolo della Croce, Episodi e fatti prodigiosi* (Roma 24, Scala Santa, Direzione de « Il Crocifisso ») pag. 256, cm. 22 × 15,5.

In vita S. Patris nostri Pauli a Cruce quam plurima admirationem movent et luculenter ostendunt quibus eximiis donis et virtutibus ipse fuerit a Deo ditatus. Haec mira voluit Auctor in suo opere colligere; non tamen omnia, sed tantum ea quae in Missionibus ad populum contigerunt, ab anno 1730 ad annum 1769, fideliter inhaerendo depositionibus testium in Processu beatificationis et canonizationis.

Praemittit in capite primo brevem antithesim inter Paulum a Cruce et impium coaevum Voltaire; addit in fine operis, juxta ordinem chronologicum, catalogum Missionum S. Pauli, quarum exstat memoria, ita ut lector sequi possit ferventem Apostolum in tot itineribus et laboribus exantlatis pro gloria Crucifixi. Sunt 189 Missiones; quatuor, quinque et plures quolibet anno: inde etiam apparet Patrem Legiferum fere semper minorem anni partem ministerio apostolico dedisse, ut reliquo tempore in solitudine receptus exercitiis vitae contemplativae suoque muneri recte implendo vacaret.

Liber in stilo simplici ac eleganti conscriptus invitat ad legendum, et semel in manibus habitus, numquam dimitteretur. Augent pretium operis nitida vestis typographica et plures imagines luce impressae.

P. STANISLAO DELL'ADDOLORATA C. P., *Der selige Bischop Vinzenz Maria Strambi, Passionist,* ins Deutsche übertragen von *P. Leo Schlegel* Cisterciense in Mehrerau (Franz Borgmeyer, Hildesheim) pag. 284, cm. 19 × 13.

Clarissimus P. Schlegel Ordinis Cisterciensium, optime notus tum ex vita Servae Dei Gemmae Galgani, quam germanice reddidit et pluribus editionibus diffudit,

tum ex aliis hujusmodi operibus, nunc offert lectoribus germanicis vitam B. Vincentii Mariae Strambi, nec dubitandum quin nomen Auctoris omnium favorem obtineat etiam in hoc opere, quod in honorem Beati Vincentii Mariae e Congregatione nostra benevole suscepit.

P. Franziskus C. P., *In zeichen des Kreuzes* (Kunstverlag G. M. B. H. München) pag. 52, cm. 17 × 11.

Hoc titulo « *In signum Crucis* » Auctor in eleganti libello breviter enarrat vitam *Ven. P. Dominici a Matre Dei*, cujus praesertim singularem vocationem ad apostolatum in Anglia exercendum fervidumque zelum pro salute animarum illustrat. Quem finem, laude dignum, intendat Auctor in praesenti opusculo, sicut in aliis a se compositis vel translatis facile apparet, scilicet inter catholicos germanicos spiritum Congregationis nostrae pervulgare, et ad amorem Crucifixi magis magisque animas allicere.

P. L. P., *Voce divina e voce umana dalla tomba di Gemma Galgani*, ossia grazie attribuite all'intercessione della vergine lucchese, e devozione dei popoli verso di essa durante il triennio 1927-1929 (« La Palatina » Torino) pag. 160, cm. 18,5 × 12.

Gaudet animus dum venerationem conspicimus totius fere orbis erga inclytam virginem Lucensem Gemmam Galgani. Deus ipse prodigiis et gratiis fiduciam et aestimationem sollicitat fidelium, quasi vocem suam addens illorum voci laudis et amoris. Utramque vocem, ut titulus exprimit, excipere in hoc opere voluit Auctor, nostrae Congregationis sacerdos. Brevi introductione praemissa, innumera refert testimonia, tum acceptas gratias, tum pios animi sensus erga Dei famulam enarrantia.

Inter gratias non tantum habentur plurimae sanationes et auxilia opportuna in variis vitae necessitatibus, sed etiam peccatorum conversiones et expulsiones daemonum.

Dignetur Deus quam primum infallibili R. Pontificis testimonio famulae suae sanctitatem confirmare.

Fiori del Sirente: *Caterina e Paolo Bernabei*, in religione *Suor Paolina della S. Famiglia*, Agostiniana, *P. Aniceto di Gesù Nazareno*, Passionista (Riposto, « Dante Alighieri », 1928) pag. 96, cm. 16 × 11.

En duo flores, qui suavem Christi odorem efflarunt prius in terra natali, vulgo « Gagliano » in Aprutio, deinde alter Romae in monasterio SS. Quatuor Coronatorum, alter in humili nostra Congregatione.

Ideo properavit Deus utrumque colligere et ad amoena Paradisi virentia transferre. Soror Paulina enim, nata die 12 Januarii a. 1880, animam Deo reddidit die 2 Augusti a. 1903; P. Anicetus, natus die 15 Martii a. 1872, in osculo Domini obdormivit die 7 Octobris a. 1901.

Auctor, sacerdos Congregationis nostrae, jam alias edidit aedificantes biographias, et sane laudandus quod facilem et pium calamum adhibeat ad exempla virtutum illustranda, cum haec ad imitationem animum trahant.

Album Sanctorum et Servorum Dei e *Congregatione SS. Crucis et Passionis D. N. J. C. quorum Causa beatificationis et canoniza-*

tionis agitur. Anno Domini MCMXXX (Tip. G. Boris « La Palatina » Torino, M. Morandini dis.).

Est tabula in charta manufacta (cm. 88 × 64) lithographice exhibens ordinatim imagines S. Pauli a Cruce, S. Gabrielis a Virgine Perdolente, B. Vincentii M. Strambi, una cum aliis duodecim Servis Dei e Congregatione nostra, quorum Causa beatificationis et canonizationis peragitur.

Sub singulis imaginibus legitur brevis ac elegans latina epigraphes, atque Causae status enunciatur. Venit apud Postulationem Generalem L. 3,50, addito vecturae pretio.

DEPOSITO CORPORE AD CHRISTUM MIGRAVERUNT

1930

14. — *Die 9 Aprilis 1930,* in Prov. S. Patritii, Pater Angelus a Septem Doloribus (Michael Mc Cunnin), qui, natus anno 1865, vota nuncuparat die 2 Augusti 1917.

15. — *Die 17 Aprilis 1930,* in Monasterio S. Joseph (Mamers), Mater Maria Paula a Vultu Sancto (Elena Pitt), quae, nata anno 1855, vota nuncuparat anno 1888.

16. — *Die 22 Aprilis 1930,* in Recessu S. Sosii Martyris, Prov. B. M. V. Dolorosae, Fr. Antoninus ab Immaculata Conceptione (Sinforo Morrone), qui, natus anno 1843, vota nuncuparat die 6 Junii 1865.

Imprimatur: Leo a Corde Jesu Praep. Gen.

P. Polisseno Orlandi (P. Emidio, Passionista) *Direttore responsabile*

Roma — *Tipografia Agostiniana* · Via Giustiniani, 15-17 — Roma

Vol. XI. 1 Augusti, 1930 N. 3

Acta Congregationis

a SS. Cruce et Passione D. N. J. C.

Jesu Christi Passio sit semper in cordibus nostris

EX ACTIS APOSTOLICAE SEDIS

LITTERAE APOSTOLICAE

INNOVANTUR INDULGENTIAE CHRISTIANAM CATECHESIM SIVE TRADENTIBUS SIVE SUSCIPIENTIBUS CONCESSAE.

PIUS PP. XI.

Ad perpetuam rei memoriam. — Litteris Nostris Motu proprio datis die XXIX mensis Julii, anno MCMXXIII, Nos apud Sacram Congregationem Concilii peculiare constituimus Officium, quod universam in Ecclesia actionem catechisticam moderaretur ac proveheret. Nunc autem ejusdem Officii Commissio catechetica, ad religiosam institutionem populi christiani ac praesertim puerorum magis magisque provehendam, enixas Nobis preces adhibet ut spiritualibus Indulgentiarum muneribus eos honestemus, qui christiani catechismo sive tradendo sive discendo operam praestent. Verum Decessores Nostri rec. mem. tum Paulus Pp. V, tum Clemens Pp. XII hujusmodi spiritualia dona jam concessere, quae tunc temporis satis apta videbantur; at nunc eadem augenda nostraeque aetatis necessitatibus congrua reddenda in Domino existimavimus. Abrogatis itaque indulgentiis iisdem Romanis Pontificibus hac in re antea concessis, conlato quoque consilio cum dilecto filio Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Poenitentiario Majore, de omnipotentis

Dei misericordia et beatorum ejus Apostolorum Petri ac Pauli auctoritate confisi, omnibus et singulis christifidelibus, qui per mediam circiter horam et non minus quam per tertiam horae partem doctrinae christianae tradendae vel discendae saltem bis in mense operam dederint, eodemque in mense bis lucrandam, diebus ad ipsorum arbitrium seligendis, *Plenariam Indulgentiam*, dummodo vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique ad mentem Nostram seu Romani Pontificis preces effuderint, misericorditer in Domino concedimus. Praeterea christifidelibus iisdem, quoties per praefatum temporis spatium doctrinae christianae sive tradendae sive discendae operam navaverint, *Indulgentiam partialem* centum dierum, contrito saltem corde acquirendam, largimur. Non obstantibus contrariis quibuslibet. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII mensi Martii anno MCMXXX, Pontificatus Nostri nono.

E. Card. Pacelli, *a Secretis Status.*

(A. A. S., vol. XXII, pag. 343).

S. CONGREGATIO RITUUM

APPROBANTUR SCRIPTA SERVI DEI GALILAEI NICOLINI, NOVITII CONGR. NOSTRAE.

Die 17 Junii 1930 in Aedibus Vaticanis habitus est S. R. Coetus Ordinarius, in quo judicio E.morum ac Rev.morum D.norum Patrum Cardinalium praefatae Congregationis plura proposita sunt, inter quae actum fuit de revisione scriptorum Servi Dei Galilaei Nicolini, novitii Congregationis Nostrae.

N. 632/930.

DECRETUM.

NULLIUS SS. VINCENTII ET ANASTASII AD AQUAS SALVIAS.

Beatificationis et Canonizat. Servi Dei GALILAEI NICOLINI *novitii Congregationis SS. Crucis et Passionis D. N. J. C.*

Instante Rev.mo P. Aegidio a Sacris Cordibus, Congregationis SS. Crucis et Passionis D. N. J. C., et hujus Causae Servi Dei GALILAEI NICOLINI, novitii ejusdem Congregationis, legitimo Postulatore, E.mus ac Rev.mus D.nus Januarius Granito Cardinalis Pignatelli di Belmonte, Episcopus Suburbicarius Albanensis et ejusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione subsignata die ad Palatium Vaticanum habita, quaestionem super scriptis praefati Servi Dei revisis et in separato folio descriptis, discutiendam proposuit. Et E.mi ac Rev.mi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius E.mi Ponentis, audito etiam R. P. D. Carolo Salotti, Fidei Promotore Generali, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuerunt: *Nihil obstare quominus ad ulteriora procedatur; reservato jure Promotori Generali obiiciendi si et quatenus de jure.*

Die 17 Junii 1930.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XI, a R. P. D. Carolo Salotti, Fidei Promotore Generali, relatione, Sanctitas Sua rescriptum ejusdem sacrae Congregationis ratum habere et confirmare dignata est, die 18 eisdem mense et anno.

(L. ✠ S.)

C. CARD. LAURENTI, *S. R. C. Praefectus.*
ALFONSUS CARINCI, *S. R. C. Secretarius.*

NULLIUS SS. VINCENTII ET ANASTASII AD AQUAS SALVIAS.

Elenchus Scriptorum Servi Dei GALILAEI NICOLINI *Novitii Congregationis Passionis D. N. J. C.*

I. Opusculum cui titulus « Composizioni » (Amabile Nicolini) in cujus fine reperitur unicum scriptum Servi Dei quatuor paginarum.

II. Opusculum cum variis exercitiis linguae latinae ac italicae, foliorum 60.

III. Liberculus paginarum 74 cui titulus « Appunti spirituali ».

IV. Liberculus paginarum 23 cum titulo « Poesie varie ».

V. Fasciculus in quo continentur varia manuscripta: « Direzione per ben fare gli Esercizii spirituali » — « Come debbasi stare in coro... » etc. constans paginis 50.

VI. Fasciculus paginarum 62 manuscriptus de Regulis Rhetoricis.

VII. Epistolae manuscriptae n. 11 ad parentes missae.

VIII. Exemplar diversorum scriptorum: *a*) Lettere n. 6. *b*) Elogio funebre. *c*) Propositi ed appunti.

Adiiciatur praesens elenchus Scriptorum Servi Dei Galilaei Nicolini novitii Congregationis Passionis Domini Nostri Jesu Christi Decreto Sacrae Rituum Congregationis super eisdem scriptis diei 17 Junii 1930.

(L. ✠ S.)

PHILIPPUS DI FAVA, *Substitutus*.

SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA

(*Officium de Indulgentiis*).

DECRETUM

CIRCA INDULGENTIAS PLENARIAS, QUAS VOCANT « TOTIES QUOTIES », PRO QUIBUS LUCRANDIS ALICUJUS ECCLESIAE VISITATIO EST INJUNCTA.

Cum responsione diei 13 Januarii anni currentis ad II (A. A. S., vol. XXII, pag. 43) per hanc Sacram Poenitentiariam, Officium de Indulgentiis, authentice declaratum fuerit, *saltem sex Pater, Ave et Gloria*, de quibus in decreto diei 10 Julii 1924 sub n. IX (A. A. S., vol. XVI, pag. 347), in visitationibus ecclesiae ad Indulgentiam plenariam *Portiunculae* nuncu-

patam *toties quoties* ut ajunt, lucrandam necessaria esse ita ut hae ipsae preces in unaquaque visitatione solvi debeant; SS.mus Dominus Noster Pius Papa XI, uniformitatis gratia atque ad omnem hac in re dubitationis rationem auferendam, in audientia infrascripto Card. Poenitentiario Majori die 4 Julii 1930 impertita, id de omnibus Indulgentiis plenariis *toties quoties* lucrandis, pro quibus alicujus ecclesiae visitatio est injuncta, benigne decernere dignatus est, ita ut in posterum oporteat et sufficiat ejusmodi preces in singulis visitationibus in omnibus hisce casibus recitare.

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 5 Julii 1930.

(L. ✠ S.)

L. Card. Lauri, *Poenitentiarius Maior.*

I. Teodori, *S. P. Secretarius.*

(A. A. S., vol. XXII, pag. 363).

PONTIFICIA COMMISSIO

AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS.

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA.

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur, dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — DE NOVITIATUS INTERRUPTIONE.

D. — An sub verbis *quacumque ex causa* canonis 556 § 1 comprehendantur etiam transitus in aliam novitiatus domum, de quo in § 4 ejusdem canonis.

R. — *Affirmative.*

II. — DE DIACONO SACRAM COMMUNIONEM MINISTRANTE.

D. — An Diaconus, sacram Communionem ad normam canonis 845 § 2 ministrans, possit et debeat in fine ritus benedictionem manu impertire juxta Rituale romanum, tit. II, n. 10.

R. — *Affirmative.*

III. — DE FILIIS LEGITIMATIS.

D. — An filii legitimati per subsequens parentum matrimonium habendi sint ut legitimi ad effectum, de quo in canone 1363 § 1.

R. — *Affirmative.*

Datum ex Civitate Vaticani, die 13 mensis Julii anno 1930.

(L. ✠ S.)

P. CARD. GASPARRI, *Praeses.*

I. BRUNO, *Secretarius.*

(A. A. S., vol. XXII, pag. 365).

DOCUMENTA PONTIFICIA CONGREGATIONIS

SACRA CONGREGATIO RITUUM.

FESTUM S. GABRIELIS A VIRGINE DOLOROSA AD RITUM DUPLICIS I CLASSIS CUM OCTAVA PRO RECESSU INSULAE IN APRUTIO EVEHITUR.

N. C. 56/929.

Beatissime Pater,

Rector Passionistarum Sanctuarii apud Insulam in Aprutio, in quo venerabiles exuviae S. Gabrielis a Virgine Dolorosa asservantur, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, humiliter petit, ut festum ejusdem Sancti, ad ritum duplicis primae classis, pro eodem Sanctuario jam evectum Rescripto S. Rituum Congrega-

tionis (C. 56/929) possit ibidem etiam cum octava celebrari ad instar concessionis Clero saeculari, per Rescriptum Apostolicum indultae.

Et Deus etc....

CONGREGATIONIS SS. CRUCIS ET PASSIONIS D. N. J. C.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XI, referente infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, attentis expositis peculiaribus adiunctis, et Rev.mi P. Procuratoris Generalis commendationis officio, benigne annuere dignatus est pro gratia juxta preces. Servatis de cetero Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 25 Junii 1930.

C. Card. Laurenti, *S. R. C. Praefectus.*

Alfonsus Carinci *S. R. C., Secretarius.*

SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA.

FACULTATES S. POENITENTIARIAE AD TRIENNIUM PRAEPOSITO GENERALI PROROGANTUR CUM POTESTATE EASDEM COMMUNICANDI ALIIS CONGREGATIONIS NOSTRAE SODALIBUS.

N. 732/30.

LAURENTIUS

TITULI S. PANCRATII

S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS LAURI

SS. DD. NOSTRI PAPAE ET S. SEDIS APOSTOLICAE

MAIOR POENITENTIARIUS

Sacra Poenitentiaria, Tibi dilecto in Christo Superiori Generali Congregationis Passionis D. N. J. C. facultates sequentes concedit ad triennium *a data praesentium computandum, cum potestate eas communicandi, etiam habitualiter, non tamen ultra praefinitum terminum, tantum cum Rectoribus singularum domorum tuae Congregationis nec non ob peculiares causas, cum aliquot ejusdem Congregationis religiosis, scientia ac prudentia*

conspicuis; dummodo tum Ipse, tum omnes praedicti, fueritis ab Ordinario loci, ad excipiendas fidelium confessiones legitime adprobati; eaque lege, ut iisdem facultatibus, in actu sacramentalis confessionis et pro foro conscientiae dumtaxat, uti valeatis.

I. Absolvendi quoscumque poenitentes (exceptis haereticis haeresim inter fideles e proposito disseminantibus) a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis ob haereses tam nemine audiente vel advertente quam coram aliis externatas incursis; postquam tamen poenitens magistros ex professo haereticalis doctrinae, si quos noverit, ac personas ecclesiasticas et religiosas, si quas hac in re complices habuerit, Supremae S. Congregationi S. Officii per se vel, de ejus venia, per teipsum denunciaverit; et quatenus ob iustas causas hujusmodi denunciatio ante absolutionem peragi nequeat, facta ab eo seria promissione denunciationem ipsam peragendi cum primum et quo meliori modo, judicio tuo, fieri poterit; et postquam in singulis casibus haereses coram te secreto abjuraverit; injuncta, pro modo excessuum gravi poenitentia salutari cum frequentia Sacramentorum et obligatione se, prudenti judicio tuo, retractandi apud personas coram quibus haereses manifestavit, atque illata scandala reparandi.

II. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui libros apostatarum, haereticorum aut schismaticorum, apostasiam, haeresim aut schisma propugnantes, aliosve per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, scienter sine debita licentia legerint vel retinuerint; injuncta congrua poenitentia salutari ac firma obligatione supradictos libros, quantum fieri poterit, ante absolutionem destruendi vel tibi tradendi.

III. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui nomen dederint sectae massonicae aliisque ejusdem generis associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur; ita tamen ut a respectiva secta vel associatione omnino se separent eamque abiurent; denuncient, ut supra, personas ecclesiasticas et religiosas, si quas eidem adscriptas noverint; libros, manuscripta ac signa eamdem respicentia, si qua retineant, in manus tuas tradant, ad S. Officium quamprimum caute transmittenda aut saltem, si justae gravesque causae id postulent, destruenda; injuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari cum frequentatione sacramentalis confessionis et obligatione illata scandala reparandi.

IV. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui clausuram Regularium utriusque sexus sine legitima licentia ingressi fuerint, necnon qui eos introduxerint vel admiserint; dummodo tamen id factum non fuerit ad finem utcumque graviter criminosum, etiam effectu non secuto, nec ad externum Ordinarii forum deductum; congrua pro modo culpae poenitentia salutari injuncta.

V. Dispensandi commutando, consideratis causis, in alia poenitentiae vel pietatis opera, omnia vota privata; exceptis votis perfectae ac perpetuae castitatis et ingrediendi Religionem votorum solemnium, quae emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum aetatis annum, nec non votis in quibus agitur de praejudicio vel de jure tertii.

VI. Dispensandi in matrimoniis jam contractis super impedimento occulto criminis ex adulterio cum fide data, absque ulla tamen machinatione; monitis conjugibus de necessaria secreta inter sese tantum, idest sine interventu parochi seu testium, renovatione consensus, atque injuncta gravi et diuturna poenitentia salutari.

VII. Dispensandi super occulta irregularitate contracta ex violatione censurarum tantum cum clericis, tam saecularibus quam regularibus in Sacris Ordinibus constitutis, sed ad hoc dumtaxat ut poenitens Ordines jam susceptos licite exercere valeat.

VIII. Dispensandi ab irregularitate ex homicidio voluntario aut abortu, de qua in can. 985 n. 4, sed ad hoc unice ut poenitens ordines jam susceptos sine infamiae vel scandali periculo exercere queat; injuncto eidem poenitenti onere, intra mensem saltem per epistolam, per alium vel per se, reticito nomine, docendo de omnibus casus circumstantiis, et praesertim quoties delictum patraverit, ad S. Poenitentiariam, recurrendi, et standi ejus mandatis.

Meminerit confessarius, si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra praedictum terminum his facultatibus uti contingat, absolutiones seu dispensationes exinde impertitas ratas esse et validas juxta can. 207 § 2 C. I. C.

Datum Romae, ex S. Poenitentiaria, die 8 maii 1930.

S. Luzio, *S. P. Regens.*

I. Teodori, *S. P. Secret.*

EARUNDEM FACULTATUM COMMUNICATIO.

Vigore potestatis nobis supra relato Rescripto concessae, easdem S. Poenitentiariae facultates libenter communicamus ad triennium, a die 8 maii currentis anni computandum:

1) Consultoribus Generalibus, Procuratori et Secretario Generali;

2) Praepositis Provincialibus, eorumque Consultoribus, singularum domorum Rectoribus et Missionariis;

3) Iis tandem ex Sacerdotibus nostris qui jam antea iisdem facultatibus donati fuerant.

Datum Romae ex Recessu SS. Joannis et Pauli, die 15 Junii 1930.

LEO A S. C. JESU, *Praep. Gen.*

SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA

(*Officium de Indulgentiis*)

I.

INDULGENTIAE CONCESSAE PIAE UNIONI S. GABRIELIS A V. DOLOROSA.

N. 1828/30.

Rector Passionistarum Basilicae S. Gabrielis a Virgine Dolorosa, Insulae in Aprutio, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, in favorem PIAE UNIONIS S. Gabrielis a Virgine Dolorosa in praefata Basilica canonice erectae, sequentes indulgentias humiliter petit, videlicet: I. PLENARIAM, suetis sub conditionibus lucrandam, 1) ab iis qui nomen dant supradictae PIAE UNIONI: die cooptationis; 2) a singulis associatis in sequentibus festis: *a*) Domini Nostri Jesu Christi: Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis et SS.mi Corporis Christi; *b*) Beatae Mariae Virginis; Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, et Assumptionis; II. PARTIALEM CCC DIERUM ab iisdem associatis lucrandam toties quoties, corde saltem contrito, recitaverint, ubique locorum, invocationem: S. Gabriel a Virgine Dolorosa, ora pro nobis.

Et Deus etc....

DIE 21 JUNII 1930.

Sacra Poenitentiaria Apostolica benigne annuit pro gratia juxta preces ad septennium. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

S. Luzio, *S. P. Regens.*

S. De Angelis, *Substitutus.*

II.

PARTIALES INDULGENTIAE CONCEDUNTUR IIS QUI NOVENDIALIBUS SUPPLICATIONIBUS IN HONOREM MATRIS S. SPEI APUD LOS ANDES ADSTITERINT.

N. 944/30.

Superior Recessus Congregationis Passionis apud Los Andes ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit aliquam indulgentiam pro Christifidelibus, qui novendialibus supplicationibus adstiterint in praeparationem ad festum Matris S. Spei in Ecclesia ejusdem Recessus.

Et Deus etc...

DIE 8 MAII 1930.

Sacra Poenitentiaria Apostolica benigne concedit Indulgentiam partialem septem annorum totidemque quadragenarum, singulis diebus novendialium supplicationum, de quibus in precibus, saltem corde contrito lucrandam a christifidelibus, qui iisdem sacris functionibus devote adstiterint. Praesenti ad septennium valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

S. Luzio, *S. P. Regens.*

S. De Angelis, *Substitutus.*

ACTA CURIAE GENERALIS

I.

NOVA BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS CAUSA INITA.

De mandato Rev.mi Praepositi Generalis Leonis a S. Corde, Postulatio Generalis novam Causam inivit, sub titulo *Sabinen. seu Ripana,* pro beatificatione et canonizatione Servi Dei P. Joannis a Spiritu Sancto (1882-1905), sacerdotis professi Congreg. Nostrae.

Iste Dei Famulus, cui in saeculo nomen fuit, Jacobus Bruni, natus est in oppido vulgo S. *Benedetto del Tronto,* dioecesis Ripanae in Piceno, die 8 Augusti 1882. Adhuc puer, mira exempla innocentiae ac omnium christianarum virtutum praebuit.

Sodalitatem a Passione ingressus, die 10 Augusti 1898 religiosa vota nuncupavit. Elogium, quod legitur in *Albo,* recens edito exhibente imagines Servorum Dei C. N., de quibus Causa peragitur, placet hic referre: « *Regularis observantiae integerrimus custos — consummatus in brevi explevit tempora multa* ». Obiit die 12 decembris 1905. Biographia Servi Dei typis edita fuit anno 1912; et quamprimum altera editio in lucem prodibit.

Notandum est Praepositum nostrum Generalem hanc novam Causam Postulationi Generali pertractandam commisisse, ob fervidas preces ac instantias Exc.mi ac Rev.mi DD. Aloisii Ferri, Episcopi Montisalti ac Ripatransonis, qui litteris sub data 1 Augusti 1929 petiit ut sibi liceret in dioecesi Ripan, ubi Servus Dei ortum duxit, processum inchoare informativum super fama sanctitatis, virtutum ac miraculorum in genere dicti Famuli Dei. Qua de re consentiente P. Praeposito Generali, Ripaetransone in Piceno inchoatus fuit die 22 Maii 1930 processus ordinarius informativus, ut supra.

Tempore congruo fient duo alii processus informativi, nempe Aesii, ubi Dei Servus in Recessu apud oppidum S. Marcelli aegrotus degit, et post obitum a pluribus invocatus nonnullas

sanationes patravit; ac in dioecesi suburbicaria Sabinensi, in qua P. Joannes a Spiritu Sancto in Recessu prope Moricone vitam suam pretiosa morte clausit, vigintiquinque abhinc annis.

II.

COMMISSARIATUS GENERALIS AUSTRO-GERMANICUS ERIGITUR.

N. 1136/30.

Beatissime Pater,

Procurator Generalis Congregationis a Passione Jesu, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit ut duo Recessus, Monacensis nempe in Bavaria, et Mariae Schutz in Austria, a Provincia S. Pauli a Cruce in Statibus Foederatis Americae Septemptrionalis separentur, atque in Commissariatum Praeposito Generali immediate subiectum erigantur. Praefati duo Recessus, ab eadem Provincia S. Pauli a Cruce recenti tempore erecti, eidem hucusque prout de more adscripti permanserunt. Verum cum ob locorum distantiam eiusdem Provinciae Praeposito haud facile esset iisdem Recessibus invigilare, postremum Capitulum Provinciale suis votis expetivit ut praedicti Recessus, a Provincia Americana seiuncti, in Commissariatum Generalitium erigerentur.

Et Deus etc...

BENIGNA CONCESSIO.

Vigore facultatum a SS.mo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, attentis expositis a Rev.mo P. Procuratore Generali, benigne facultatem tribuit iuxta preces, servatis de iure servandis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die 17 Martii 1930.

ALESSIO ENRICO M. LÉPICIER O. S. M., *Prefetto.*

VINC. LA PUMA, *Secretarius.*

J. X. P.

Potestate nobis commissa libenter utentes, duos memoratos Recessus a Provincia S. Pauli a Cruce separatos declaramus et in Commissariatum generalem virtute praesentium erigimus; atque ad officium Commissarii, ad nostrum beneplacitum, de unanimi Curiae nostrae consensu, Adm. R. P. Victorem a S. Nicolao eligimus cum munere etiam Superioris Recessus vulgo Maria Schutz, aliosque Superiores, pro toto tempore ad quod electi fuerunt, in munere confirmamus.

Romae, die 10 maii 1930.

Leo a S. Corde Jesu, *Praep. Generalis.*

CHRONICA CONGREGATIONIS NOSTRAE

ROMAE IN RECESSU SS. JOANNIS ET PAULI

FESTUM SS. JOANNIS ET PAULI.

In nostra Basilica festum SS. Joannis et Pauli solemniter ex more habitum est. Praemissa supplicatione novendiali, Vespere Pontificales in pervigilio celebratae sunt ab Exc.mo Dom. Joanne Smit, Episcopo Paralensi.

Mane diei festi, 26 Junii, post plures Missas sive in Basilica sive in subterranea domo celebratas, quas inter Em.mi ac Rev.mi Dom. Camilli Card. Laurenti; ad altare maius, ubi condita sunt corpora Sanctorum Martyrum, Em.mus ac Rev.mus Dom. Eugenius Card. Pacelli, Titularis noster, pontificali ritu Sacra peregit.

Quibus expletis, sacris vestibus exutus, in sacello S. Patris Nostri Legiferi consuetam collationem archaeologicam audire voluit ex ore Adm. Rev. di P. Stanislai a Virgine Perdolente, quarto Consultore Generali Congregationis nostrae, quem Magister Collegii Cultorum Martyrum, Horatius Marucchi, levi morbo impeditus, elegerat ut sua vice fungeretur.

Ad reditum in sacrarium Eminentissimus Vir obsequium accepit peregrinorum Berolinensium, qui Missae Pontificali adfuerant: eos laeto ac ferventi animo alloquens, dixit quam jucundum sibi esset Berolinenses catholicos in sua Ecclesia Titulari nunc iterum videre, eisque graturali de rebus catholicis feliciter gestis Berolini post suum discessum, praesertim de publicis ac solemnibus pompis in festo Corporis Christi; hortatusque est ut fratribus fidei nuntiarent se participem semper esse eorum gaudii et doloris, laboris et exitus atque super eos omnes Dei uberrimas benedictiones implorare.

Post meridiem, hora statuta, secundae Vesperae Pontificales celebratae sunt ab Exc.mo Dom. Josepho Palica, Vicesgerente Urbis, et post panegyricam orationem a Sacerdote Congregationis nostrae habitam, Benedictionem Eucharisticam impertivit Em.mus ac Rev.mus Dom. Petrus Card. Segura y Saenz, Archiepiscopus Toletanus, Hispaniae Primas.

A mane ad vesperam magnus fuit fidelium concursus tum ad Basilicam, tum ad domum Sanctorum Martyrum visendam, maxime dum sacrae functiones agerentur; ita ut magis magisque ostenderetur Romanorum pietas erga gloriosos istos Concives, qui sanguine effuso pro Christi nomine Urbem illustrarunt.

PROFESSIONES PERPETUAE.

Die 15 Augusti 1930 in sacello, in quo Exuviae S. Patris N. venerantur, vota perpetua emiserunt, in manibus Adm. Rev. P. Benjamini ab Immaculata, secundi Consultoris Generalis, merito delegati, *Confr. Pius a Matre Perpetui Auxilii* et *Confr. Alexius a Pretiosissimo Sanguine*, e Prov. S. Pauli a Cruce.

Die autem 18 eiusdem mensis et anni, in sacello Matris S. Spei prope *Rocca di Papa*, vota perpetua emisit, in manibus Rev. P. Joannes Maria a S. Familia, item ex delegatione, *Confr. Aloisius a S. Joseph*, e Prov. B. M. V. Dolorosae.

II.

PROVINCIAE CONGREGATIONIS NOSTRAE.

PROVINCIA PRAESENTATIONIS B. M. V.

Professiones perpetuae. — In Recessu S. Michaelis Arc. (Vetralla), die 27 Aprilis curr. anni, vota perpetua emiserunt Confratres: *Dominicus a S. Familia, Emigdius a Jesu Infante, Galilaeus a Virg. Per-*

dolente, Sixtus a Jesu, Basilius ab Immaculata et *Joseph a SS. Cordibus.*

PROVINCIA B. MARIAE V. DOLOROSAE.

NOVUS RECESSUS CANONICE ERIGITUR IN LOCO VULGO « CALVI RISORTA ».

N. 4785/30.

Beatissime Pater,

Moderator Provinciae a Virgine Dolorosa, Congregationis SS. Crucis et Passionis D. N. J. C., humillime petit a Sanctitate Vestra canonicam domus erectionem in loco vulgo « Calvi Risorta » dioecesis Calvensis, cum omnia habeantur quae pro huiusmodi erectione requiruntur.

Et Deus, etc....

BENIGNA CONCESSIO.

Vigore facultatum a SS.mo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, audito voto Rev.mi P. Procuratoris Generalis, Rev.mo P. Praeposito Generali benigne facultatem tribuit, deveniendi ad canonicam erectionem enunciatae domus, cum omnibus privilegiis et gratiis spiritualibus, quibus legitime aliae domus praefatae Congregationis fruuntur et gaudent, dummodo tamen in ea omnia habeantur, quae de iure requiruntur ad formam Sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Datum Romae, die 31 julii 1930.

VINCENTIUS LA PUMA, *Secretarius*
HENRICUS AGOSTINI, *Adiutor a Studiis.*

CONCESSIONIS EXECUTIO.

J. X. P.

Utentes potestate Reverendissimo Praeposito Generali commissa et nobis in hac parte delegata, cum constiterit omnia in casu haberi quae de iure requiruntur, virtute praesentium, domum religiosam in loco vulgo « Calvi Risorta » dioecesis Calvensis, canonice erigimus ac erectam declaramus, cum omnibus juribus, privilegiis et gratiis, quibus ceterae Congregationis Nostrae Domus fruuntur et gaudent.

Romae, die 1 Augusti 1930.

LUCAS A VIRGINE POMPEIANA
Vicarius Generalis.

Professionis Perpetuae. — Die 7 mensis Martii 1930, in Recessu S. Sosii M. prope Fabrateriam, vota perpetua coram domus Rectore emiserunt, Clerici: *Leo a Jesu Crucifixo, Valentinus a V. Dolorosa,* et *Sylvius a S. Joseph.*

Die vero 2 maii, in eodem Recessu, Praepositus Povincialis perpetuam professionem excepit clerici: *Benedicti a Jesu et Maria.*

PROVINCIA PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Ordinationes sacrae. — In Recessu B. M. V. vulgo *delle Rocche* (Molare) die 9 Julii 1930, sacro Praesbyteratus ordine insigniti sunt ab Exc.mo Domino Joanne Baptista Peruzzo, Episcopo Oppidi Mamertinae, ex Nostra Sodalitate, Patres: *Ludovicus a Jesu Agonizante. - Fulgentius a S. Joseph. - Joannes Baptista ab Immaculata. - Uaverius a Matre B. Consilii.*

PROVINCIA A LATERE JESU.

Professiones temporariae. — In Recessu B. M. V. vulgo *della Catena* (Laurignano), temporaria vota emiserunt: die 26 Maii curr. anni, *Frater Hilarius a Virgine de Carmelo;* et die 8 Junii, *Confrater Cajetanus a SS. Trinitate.*

PROVINCIA A S. FAMILIA.

Sacra Ordinatio. — Die 24 Junii huius anni, in ecclesia Cathedrali Pampilonensi, sacro Presbyteratus ordine insignitus est *P. Joseph a Virgine Perdolente.*

Professiones temporariae. — In Recessu N. Dominae vulgo *del Villar* (Corella), vota temporaria emiserunt: die 27 Aprilis huius anni *Frater Gumersindus ab Immacultata;* et die 29 Maii, *Pater Vincentius a Virgine Dolorosa,* qui Sacerdotium susceperat die 27 Januarii anni 1918.

PROVINCIA SS. CRUCIS.

Rector novi Recessus eligitur. — Die 29 Maii 1930, Curia Provinciae Americanae a SS.ma Cruce, *Adm. Rev. P. Michaelem a Getsemani* primum Rectorem elegit in novo Recessu Detroitensi, nuper erecto, et S. Patri Nostro Paulo a Cruce dicato.

PROVINCIA MATRIS S. SPEI.

Eligitur secundus Consultor Provincialis. — Die Julii 1930 in Provincia Matris S. Spei, *Adm. Rev. P. Flavianus a Quinque Vulneribus* in secundum Consultorem Provincialem electus fuit, ob mortem P. Stephani a S. Joseph Praepositi Provincialis ejusdem Provinciae.

III.

MISSIONES

I.

R.mus P. Cuthbertus a Cruce (O' Gara) Praefecturae Apostolicae de Shenchow solemniter possessionem capit.

R.mo nostro Patri Praeposito Generali Leoni a S. Corde nuncium pergratum datur de possessione suscepta a R.mo P. Cuthberto Praefecturae eidem concreditae in Sinis a S. Congregatione de Propaganda Fide, uti in praecedenti numero hujus Commentarii descriptum est.

Dominica Pentecostes, quae hoc anno accidit die octava mensis Junii, electa fuit pro fausti eventus celebratione. Caeremoniae juxta Ecclesiae ritum peractae, in adjunctis Sinarum morum, quid pulchri coram omnibus demonstrarunt. Ordines praeibant puerorum altari inservientium, qui rubram tunicam induebantur ac superpelliceum phrygio opere ornatum, alii faces manu tenentes, alii, viginti circiter, symphoniaco choro addicti; dein Christifideles ac presbyteri, quos sacri Ministri atque Excellentissimus Praesul sequebantur in paramentis suis: haec omnis pompa visa est multicolor atque mirifice disposita. Etiam vicini pagani, qui adstiterunt, haec videntes magna admiratione perculsi laudibus extollere coeperunt cultum publicum ab Ecclesia Catholica adhibitum ad Coeli Dominum honorandum. Utinam ipsorum mentibus, quae Ecclesiae ritibus adeo delectari conspiciuntur, lux veritatis aliquando affulgeat!

II.

RATIO ANNUA OBLATIONUM PRO MISSIONIBUS NOSTRIS AD INFIDELES ANNO 1929.

ELEEMOSYNAE EX « MISSA LIBERA » SACERDOTUM CONGREGATIONIS

In Italia.

Ex recessibus quinque Provinciarum	L.	15.000,00

Extra Italiam.

Ex recessu Havanae (Cuba)	»	1.482,00
» » Przasnysz (Polonia)	»	279,55
» » Sanctae Clarae (Cuba)	»	57,00
» » Mexici	»	95,00

STIPES COLLECTAE.

In Italia.

Ex recessibus quinque Provinciarum	»	6.061,30

Extra Italiam.

Ex Provincia Pret. Sanguinis	»	5.565,70
» » Immaculatae Conceptionis	»	9.898,30
» » Calvarii	»	500,00
Ex Recessu Caibarien	»	380,00
» » Sanctae Clarae (Cuba)	»	380,00
» » Mexici	»	418,00
» » Ss.mi Cordis Jesu (Havana)	»	1.400,00

Summa ergo oblationum pro missionibus nostris anno 1929 est:

Eleemosynae ex Missis liberis	L.	16.913,55
Stipes collectae	»	24.603,30
	L.	41.516,85

Secretarius Missionum gratias agit omnibus qui auxilium huic operi tam digno praestarunt, et dum rogat Deum, ut iis inspiret ad semper magis laborandum pro necessitatibus Missionum exoptat ut idem Remunerator Supremus congruam omnibus mercedem concedat.

Archisodalitatis a Passione novae erectiones.

Diplomate diei 7 Aprilis 1930, Sodalitas nostra erecta fuit in ecclesia Annuntiationis B. M. V., loci *Sulmona*, dioecesis Sulmonen. (Italia).

Item, diplomate diei 15 Aprilis 1930, in ecclesia S. Jacobi May. Apost., loci *Soncino*, dioecesis Cremonen. (Italia).

Item, diplomate diei 16 Aprilis 1930, in ecclesia Assumptionis B. M. V., ejusdem loci ac dioecesis.

Item, diplomate diei 26 Apr. 1930, in ecclesia S. Erasmi, loci *Castel Goffredo*, dioecesis Mantuan. (Italia).

Item, diplomate diei 4 Maii 1930, in ecclesia S. Andreae Apost., loci *Banio de S. Pedro*, dioecesis Palentin. (Hispania).

Item, diplomate diei 9 Maii 1930, in ecclesia S. Antonii Abb., loci *Miagliano*, dioecesis Bugellen. (Italia).

Item, diplomate diei 26 Maii 1930, in ecclesia S. Andreae Apost., loci *Premolo*, dioecesis Bergomen. (Italia).

BIBLIOGRAPHIA

P. Stanislao dell'Addolorata Passionista, *La Basilica Celimontana dei Santi Giovanni e Paolo* (Studio editor. Istituti Universitari, Roma, 1930) pag. 136, cm. 21 × 15.

Cum opus egregium « *La Casa Celimontana dei SS. Martiri Giovanni e Paolo* », quod P. Germanus C. P. anno 1894 ediderat ad illustrandam domum SS. Joannis et Pauli a se nuper detectam, brevi tempore exhaustum esset, altera editio a multis desiderabatur.

Attamen validae ut hoc fieret obstabant rationes: sive nempe novae res, et quidem magni momenti, repertae; sive solidiores opiniones, quibus antiquae locum aliquando dederunt; sive etiam disputationes et negationes criticorum. Opportunissime igitur nunc apparet liber nostri P. Stanislai.

In tres partes integrum opus dividitur, quae apte vocari possunt: *historica, descriptiva et critica. Prima* vitam Sanctorum Martyrum recolit, eorumque Basilicam ab origine ad nostra usque tempora illustrat, necnon adiunctum coenobium; *secunda* accurate universam domum Sanctorum pervestigat, monumenta praesertim artis christianae describens, ita ut quasi manu ducat ad domum utiliter invisendam; *tertia* demum valorem Actuum martyrii, fraternitatem Sanctorum, Ecclesiam super eorum domum aedificatam, cultum fidelium, solidis argumentis statuit et defendit.

Operis indoles, hinc patet, est popularis simulque scientifica; ibi omnia, saltem breviter, tanguntur quae respiciunt existentiam, vitam, habitationem, martyrium, cultum Sanctorum nostrorum, in quorum tutela domus mater, et quodammodo universa Congregatio Passionis, secura quiescit.

Pretium operis augent pulchrae tabulae phototypice impressae ac vestis typographica nitida et elegans.

Omittere nolumus Horatium Marucchi, perillustrem archaeologum, epistolam ad auctorem misisse ut illi gratularetur, et enuntiaret se eius cooptationem proposuisse in sodales Collegii Cultorum Martyrum, quam omnes unanimiter probaverint.

IDEM, *Corte d'onore al Cuore Eucaristico di Gesù* (Roma, 1930) pag. 36, cm. 14,5 × 9.

In forma dialogi inter Jesum, Dilectum cordis nostri, et animam fidelem, Sponsam Ejus, optima traditur methodus pie ac devote permanendi in adoratione ante SS. Eucharistiae Sacramentum. Speciatim ostenditur quam grata sit Cordi Eucharistico Christi meditatio Passionis; quam facile sit hoc exercitium si, absque mentis defatigatione, toto cordis affectu recolantur singuli dolores quos Dominus noster in anima et in carne sua perferre voluit pro Redemptione Mundi.

IDEM, *Amate Maria: Il Maestro ai suoi Novizi* (Roma, 1930) pag. 12, cm. 14,5 × 9.

Breviter et efficaciter varia proponuntur motiva ad fervidum amorem excitandum in corde Novitiorum Congregationis nostrae erga Beatissimam Virginem Mariam, modusque optimus declaratur quo talis devotio acquiri et exerceri possit.

P. FRANZISKUS C. P., *Der heilige Paul vom Kreuz*, Stifter des Passionistenordens. Sein Leben und seine Ideale (Dülmen i. Westf., 1930) p. 316, cm. 19 × 13.

Auctor in eleganti volumine haud magnae molis describere voluit vitam S. Patris nostri Legiferi, quam Albanus Stoltz recte definivit: « Evangelium vivum, visibile, practicum », ut lectores linguae germanicae facile et libenter tum vitam et virtutes S. Pauli a Cruce, tum Congregationem ab ipso fundatam cognoscere valeant.

Duas distinxit operis partes: in prima historiam totius vitae enarrat, in altera virtutes illustrat.

Notatu dignum caput vigesimum primum, cui titulus: « Spiritus et vita », ubi optime exprimitur spiritus Congregationis nostrae. Dicitur enim solitudinem esse fundamentum ejus, paupertatem vexillum, poenitentiam fortitudinem, orationem scutum, oboedientiam murum inexpugnabilem, Jesum Crucifixum rationem utriusque vitae, contemplativae et activae.

In decurso libri variae et pulcherrimae habentur imagines non solum S. Pauli, sed etiam plurium Servorum Dei Congregationis nostrae.

Faxit Deus ut in Germania et Austria hic liber a multis legatur, praesertim juvenibus, qui ad sequelam Crucifixi suaviter trahantur.

IDEM, *Katholische Iugend, dein neues Vorbild! Eine* Kreuzesblüte. Züge aus dem Leben des heiligen *Gabriel von der schmerzhaften Mutter* (Dülmen i. Westf., 1930) pag. 48, cm. 14 × 8,5.

Haec opella speciatim dirigitur ad catholicam iuventutem, quae in Congregationibus Marialibus et in piis Unionibus puellarum ad pietatem succrescit; eique proponit imitandum S. Gabrielem a Virgine Perdolente, cujus vita breviter enarrat, addens, preces et cantica in ejus honorem.

IDEM, *Eine Kreuzesblume*: *Die Dienerin Gottes Gemma Galgani* stigmatisieste Iungfrau von Lucca (Dülmen in Westf., 1930) pag. 52, cm. 17,5 × 11,5.

Est breve compendium vitae Servae Dei Gemmae Galgani, quod auctor libere vertit ex italica lingua. Rationalismus, dum nostro tempore mentes hominum pervadit, practicam refutationem invenit in vita mirabili istius ingenuae et humilis puellae, quae jam ubique maximam aestimationem et amorem sibi comparavit.

Optimum sane consilium magis magisque hanc vitam diffundere, quia si dona, quibus a Deo ditata est Gemma Galgani, extraordinaria et singularia sunt, virtutes tamen ejus, maxime amor et imitatio Christi patientis, ab omnibus exerceri debent.

DEPOSITO CORPORE AD CHRISTUM MIGRAVERUNT

MONITUM

In exarando nuncio funebri nunquam omittatur : Nomen Congregationis vel Instituti ; dies, mensis et annus mortis; nomen loci tam sacrum, quam saeculare ; nomen Provinciae ; nomen religionis, et saeculi, defuncti vel defunctae ; dies, mensis et annus primae professionis.

Nuncium vero, a Rectore domus in qua defunctus morabatur, mittendum est tum ad Secretarium Generalem, tum etiam ad singulos Provinciales, qui tenentur illud transmittere ad omnes Recessus sibi subiectos, necnon ad Moniales et Sorores a Passione, quarum domus intra ambitum cuiusque Provinciae continetur, juxta normas in hac ephemeride alias editas. ***(Bollett., an. I, pag. 83).***

17. — *Die 3 Maii 1930,* in religiosa domo S. Crucis (Sutton), Sor. MARIA IMELDA JOSEPH A SS. SACRAMENTO, quae, nata anno 1858, vota nuncuparat anno 1882.

18. — *Die 11 Maii 1930,* in Recessu SS. Salvatoris, Prov. S. Joseph, Fr. ALEXANDER A S. CORDE JESU (Adolphe Alexander Schezskowski), qui, natus anno 1869, vota nuncuparat die 1 Febr. 1896.

19. — *Die 19 Maii 1930,* in religiosa domo S. Michaelis (Buenos Aires), Sor. MARIA JOSEPH A JESU CRUCIFIXO (Julia Wavren), quae, nata anno 1875, vota nuncuparat die 15 Augusti 1899.

20. — *Die 19 Maii 1930,* in Recessu SS. Joannis et Pauli, P. JOSEPH A SS. CORDIBUS (Petrus di Coste), qui, natus anno 1853, vota nuncuparat die 30 Oct. 1880.

21. — *Die 28 Maii 1930*, in Recessu S. Michaelis Arch., Prov. S. Pauli a Cruce, P. NICOLAUS A MATRE DOLOROSA (John C. Curtin), qui, natus anno 1897, vota nuncuparat die 3 Nov. 1920.

22. — *Die 30 Maii 1930*, in religiosa domo S. Crucis (Ilkley) Sor. MARIA FRANCISCA TERESIA JOSEPH A JESU (Helena M.ª Goven) quae, nata anno 1898, vota nuncuparat die 19 Martii 1926.

23. — *Die 4 Junii 1930*, in eadem religiosa domo, Sor. MARIA JOSEPH AB ANIMABUS SANCTIS (Margarita Kenne), quae, nata anno 1874, vota nuncuparat die 28 Augusti 1901.

24. — *Die 10 Junii 1930*, in Recessu S. Gabrielis, Prov. Matris S. Spei, P. STEPHANUS A S. JOSEPH (Franciscus Peeters), qui, natus anno 1874, vota nuncuparat die 13 Martii 1891.

25. — *Die 16 Junii 1930*, in Monasterio a Passione (Napoli), Mater SYLVIA A PASSIONE.

26. — *Die 21 Junii 1930*, in Recessu S. Michaelis Archangeli, Prov. Pret.mi Sanguinis, P. INDALECIUS A S. JOSEPH (Ludovicus Mate), qui, natus anno 1869, vota nuncuparat die 3 Decem. 1885.

27. — *Die 26 Junii 1930*, in Recessu Passionis, Prov. S. Cordis Jesu, P. BONIFACIUS A CORDE MARIAE (Primus Lasuen), qui, natus anno 1870, vota nuncuparat die 27 Febr. 1887.

28. — *Die 30 Julii 1930*, in religiosa domo S. Annae (Bradfort), Soror MARIA JOSEPH (Brigid Burke), quae, nata anno 1890, vota nuncuparat die 19 Augusti 1916.

Imprimatur: LEO A CORDE JESU Praep. Gen.

P. POLISSENO ORLANDI (P. EMIDIO, Passionista) *Direttore responsabile*

ROMA — *Tipografia Agostiniana* - Via Giustiniani, 15-17 — ROMA